



# Dissertatio historico-juridica de magistro navis

<https://hdl.handle.net/1874/9756>

DISSERTATIO HISTORICO-  
JURIDICA

DE

MAGISTRO NAVIS.

PARS ALTERA,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS HENRICI PAREAU,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL.  
DOCT., LITT. ORIENT. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS VAN HALL,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XIX. NOVEMBRIS HORA XI.



AMSTELODAMI.

APUD VID. LAUR. VAN HULST et FIL.

CIDCCCXXII.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### DE MAGISTRO NAVIS ANTE ITER SUSCEPTUM.

**E**xposito in primo hujus Disputationis Capite universo obligationis magistri navis fonte, jam peculiariter de ejus officiis agendum est. Rationem autem inter eum et nautas in Caput ultimum rejicientes, jam tribus Capitibus, quid maxime facere debeat vel omittere, antequam iter suscipit, cum vela data sunt, et postquam illud exactum est, patefacere conabimur.

Spectant autem ea, quae antequam iter potest suscipi, a Magistro peragenda sunt, vel juris vinculum inter eum et exercitores, vel illud, quo erga mercatores est obligatus; quae proinde duarum hujus Capituli sectionum erunt argumenta, quibus subjungenda erit tertia sectio, de privilegio Magistro ceterisque nautis concesso, ex quo, nave ad iter suscipiendum parata, propter debita detineri non possunt.

## S E C T I O P R I M A.

## DE OFFICIIS MAGISTRI ERGA EXERCITORES.

§. I. *De potestate Magistro tributa in locanda nave et recipiendis vectoribus.*

Quum Magistrum elegerunt Exercitores et, in quamnam regionem mittere velint navem, decreverunt, statuunt de eo, utrum vel ipsi merces velint imponere, vel aliis potius navem locare, sive ita, ut unus aliquis mercator totam navem *per averfionem* conducat, sive ea ratione, ut singuli mercatores certas tantum res, vel certa quaedam pondera imponant. Plane autem ex eorum arbitrio pendet, utrum hanc curam Magistro velint committere, an vero sibi eam retinere. Itaque proprio Marte, dum copia est exercitores conveniendi, Magister, neque emere pro iis merces, quas nave transferat, neque aliis eam locare potest. Nam nulla ratio est, cur eam potestatem Magistro concessisse censeantur Exercitores.

Attamen olim, quum plerumque praeter Magistrum navis nemo esset, qui res exercitoriae Societatis administraret, mirum non est, in Gallia hanc curam ad Magistrum pertinuisse. Cf.

le *Guidon de la mer*, XVIII. 4. Secundum *Conf. mar.* idem magistro concedebatur, quin-  
 jus habebat, quaque versus iter instituendi, mo-  
 do tenderet in Christianorum regiones, nisi cau-  
 tionem ab eo exegissent exercitores, fore ut,  
 exacto itinere, in eorum potestatem navem re-  
 duceret. In ea vero loca, quae non tuta habe-  
 bantur, quaeve a Turcis aliisque Infidelibus  
 erant occupata, sine venia exercitorum vela da-  
 re non poterat, quoties copia ipsi fuerit data,  
 eos primum ea de re adeundi. *Conf. mar.* Cap.  
 226., 255. Etiam ex jure Hanseatico et anti-  
 quis patriae moribus pertinebat ea res ad officium  
 Magistri arg. *J. M. H.* tit. V. art. 6.; DE  
 GROOT, *Inl. tot de Holl. Regtsg.* III. 20;  
 art. 1. *van Schipp. en Koopl.* 1563. (1) In  
 Gallia vero deinceps statutum est, ut in loco  
 do-

(1) Animadvertendum est in antiquis legibus nauticis,  
 ubi de magistro disputatur, continuo mentionem fieri con-  
 tractus Magistrum inter et Exercitores de aedificanda na-  
 ve, cujus impensarum partem solvendam promittant ii,  
 qui pro rata futuri sunt exercitores, partem vero etiam  
 polliceatur ille, qui ejus magisterium fuscipere et con-  
 structionis curam velit habere. Cf. *Conf. Mar.* cap. 45.  
 sqq. et cap. 280.; *J. M. H.* I. art. 2. et 3. Nihil autem  
 huius Contractus ad nostrum propositum pertinet. Subji-  
 citur ille ordinariis Societatis regulis, atque demum, a quo  
 tempore aedificata navis oneranda est et instruenda, Magis-  
 tri, tanquam navis praefecti, mentio fieri potest.

domicilii exercitorum navem suam locare non posset, nisi ex eorum consensu art. 1. et 2. *des chartesp. Ordonn.* 1681.; EMÉRIGON, *Tr. des asf.* 11. 3. Atque eadem ratione in novo *Cod. merc.* art. 232. extr. fancitum est: ne quis magister in loco domicilii, vel exercitorum, vel eorum, quibus navis administratio mandata est, sine eorum venia contractum de oneranda nave ineat. Cf. etiam *le nouv. Valin.* ad art. 273. Conveniunt autem *Plebiscita Gedanensium* L. 4. art. 10., teste KURICKE ad *J. M. H. V.* 1., *Jus Danic.* lib. IV. 2. art. 1. et *R. Seer.* art. 128. *sqq.* Porro quoniam hoc Societatis exercitoriae esse videtur propositum, ut potius, aliis locando navem, quaestum faciant, quam ut eâ, suo periculo, merces transvehant; ubi alterutrum faciendum est, navem locare debet magister, non merces transvehendas emere. Solebat autem navis locandae cura ex mandato exercitorum ad magistrum pertinere, teste VALIN, *loc. cit.* et POTHIER, *Contr. mar.* N. 19., neque aliud hodieque obtinet.

Ceterum in ineundo contractu diligenter videat oportet magister, ne merces transvehendas conducatur, quae lege prohibentur (1). Nam, quid-

(1) *Contrebande.* Cruciatarum expeditionum tempore vocem usum venisse existimat JACOBSEN, *Seer.* II., 1. pag. 128., quum illi, qui Saracenis instrumenta bellica cer-

quidquid damni ita datum est, ab eo suo jure repetunt Exercitores. Hoc enim mandasse non censetur, quin si unus atque alter, aut etiam major exercitorum pars illud jusserit, ceteris nihilominus id quod interest debet restituere. Nam non potest hoc ad ea referri, quae plurimorum consensu perficiuntur, quippe qui in omnibus iis tantum ceteros obligant, quae naturae societatis conveniunt et finem spectant, propter quem societas est inita. Ut vero merces illicitae transferantur naturae et fini societatis consentaneum non est. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1486., 1906. De vectoribus recipiendis eadem plane atque de conducendis mercibus, quae transvehantur, videntur dicenda. Si magistro concessum est jus navi onus procurandi, potest etiam optime recipere viatores, praesertim cum vulgo censetur expedire tum exercitoribus, tum mercatoribus, ut sint quam plurimi, qui navem data opportunitate defendant. Quod si tamen alicui mercatori universa navis locata sit, quemadmodum praeter ejus consensum alia onera, ita neque viatores recipere potest. Sed, ubi ejus voluntatem non possit ex-  
plo-

afferrent a Summo Pontifice *banno* punirentur, unde haec mercatura *contra bannum* agi diceretur. Vid. etiam EMÉRIGON *des asf.* XII., 51. et conf. omnino V. CONF. J. D. MEIJER, *Inst. Jud.* I. cap. 3. pag. 44. sqq.

plorare, saepius utiliter rem conductoris agere videtur, justa mercede iis locum in nave concedendo. Cf. POTHIER, *Convr. mar.* N. 24. Cavendum tamen ei est quam maxime, ne ejusmodi recipiat, a quibus damnum aliquod expectandum fit, quales sunt imprimis, si bellum aliquod inter alias gentes exortum fit, gentium illarum cives. Cf. JACOBSEN, II., 2. pag. 177.

§. 2. *De officio magistri in instruenda nave.*

Quemadmodum ad ipsos exercitores pertinet jus locandi suam navem, ita eorum etiam est curare, ut navis recte sit instructa. Verum, nisi recte curata navis fit, cogi non potest magister ad iter fuscipiendum. Potest autem hic quaeri, quid juris fit, si exercitores permiserint magistro, ut navi onus procuraret, hic deinde propterea pacta cum mercatoribus iniverit, exercitores vero in emptionem armamentorum ceterarumque rerum necessariarum consentire nolint? Dicendum omnino cogendos esse exercitores, ut partem impensarum jure factarum praestent, vel permittant magistro, ut, donec eam solvant, mutuam pecuniam eorum periculo sibi compareret. Scilicet *qui finem vult, media*, ut vulgo ajunt, *ad finem perducentia non voluisse; intelligi non debet.* Non potest quis velle, ut na-



navi onus aliquod imponatur transvehendum, quin simul etiam in impensas, quae singulis itineribus necessario faciendae sunt, consentiat. Comprobatum autem est illud vinculum, inter jus navem locandi et obligationem eam necessariis rebus instruendi, *Conf. mar. cap. 236. princ.*, ubi dicitur magister esse obligatus ad eundem, etiam, invitis exercitoribus, funalia ad instruendam navem necessaria, ne ipse ea de re adversus mercatorem teneatur. Eadem ratione in art. 6. *van Schipp. en Koopt. 1563.* instruendae navis cura magistro committitur et jure, quo hodieque utimur, art. 233. magister, qui ex auctoritate exercitorum bona transvehenda suscipit, jus habet petendi impensarum, ad iter suscipiendum necessariarum, solutionem. Sed regulariter, quemadmodum proprio Marte de onere imponendo pacisci non potest, sic etiam, nisi ex venia exercitorum, nequit emere instrumenta. *Cod. de Comm. art. 232. Cf. J. M. H. V. I., Pr. Landr. II. 8. §. 1458. 1473.* Legibus Rusficis autem ad solum magistrum haec cura pertinet. *R. Seer. art. 20., 32. et 132.*

Ita igitur si distinguas, verum est quod dixit VINNIUS *ad PECKIUM, pag. 259. nota d.* „magistrum navem praestare fartam tectam, bene eam stipare et picare, quod verbo nautico calsaaten (forte a calefacio) vocant, ne rimis satiscentibus unda perfluat,” et quod

**ROCCUS** *de nav. et naut.* not. 69. ait „ eum  
 „ navem integram praestare debere.” Cui navis  
 conditioni recte verba referas Senecae *epist.* 76.  
 bonam navem dici: „ non quae pretiosis colori-  
 „ bus picta est, nec cui argenteum aut aureum  
 „ rostrum est, nec cujus tutela ebore caelata  
 „ est, nec quae fiscis et regiis opibus pressa  
 „ est, sed stabilis, et firma, et juncturis aquam  
 „ excludentibus spissa, ad faciendum incursum  
 „ maris solida, velox et non sentiens ventum.”  
 Secundum *Conf. Mar.* cap. 246. ea, quae  
 aqua, per latera navis immissa, corrupta sunt a  
 Magistro refarciuntur. Quod si damnum datum  
 fit ab aqua, quae per carinam penetravit, nihil  
 praestat, nisi probetur carina non recte fuisse  
 curata (*niet behoortlyk gecalfaat en gepikt*).  
 Add. cap. 62. et 268. Jure patrio antiquo et  
 hodierno jure quaerendum est simpliciter, an  
 Magistri culpa damnum datum sit nec ne. Cf.  
*Wb. Z.* 23.; art. 42. *Placc.* 1551., art. 6.  
*van Schipp. en Koopt.* 1563. Quod sicubi ab  
 iis, qui harum rerum periti sunt, publica auc-  
 toritate inspiciantur naves, ibi praesumptio juris  
 est, eas aptas ad navigandum fuisse, adeoque  
 onus probandi absque dubio iis incumbit, qui  
 navem non idoneam fuisse affirmant, quo probato  
 naulum Magister amittit et mercatores indemnes  
 praestat. Cf. *Ord.* 1681. art. 12. *du fret*;  
*C. de C.* art. 297. Magister autem qui non  
 cu-

curavit, ut inspiceretur navis sibi debet imputare, quod similem praesumptionem non possit opponere. Secus vero est, si res geratur in regionibus, ubi, quemadmodum seq. §. de patria nostra videbimus, hujusmodi inspectio haberi non solet. Nam ibi nulla negligentia naturalem eam praesumptionem amisit, et debet igitur is, qui ex vitio navis damnum sibi datum esse affirmat, vitium illud idoneis argumentis probare (1). Nihil autem refert, utrum vitium Magistro notum fuerit, an ignotum, quoties ratione muneris sui ea novisse debet. Sin vero justam causam suae ignorantiae possit afferre, nempe si vitium aliquod ita sit absconditum et inexpectatum, ut ne prudentissimus quisque de eo cogitavisset, nautum simpliciter amittit; sed damnum mercatori refarcire non tenetur.

Pertinet autem ad idem hoc obligationis caput, ut navis instrumenta necessaria, τὰ τῆς ναὸς σκεύη DEMOSTHENI, ad quae hoc loco etiam cibaria et cetera hujusmodi refero, vel praesentibus exercitoribus ex eorum venia, vel, iis absentibus, proprio Marte sibi comparet. Cf. l. 6. §. 4. ff. de actione empti; l. 19. §. 1. ff. locati;

(1) Legibus Uliaricis et antiquo jure Patrio constitutum est, ut dato damno, cum tribus quatuorve nautis juraret Magister damnum non sua culpa esse datum. J. d'Ol. art. 11.; Wb. Z. 23.; art. 6. van Schupp. en Koopl. 1563.

*cati*; *Conf. mar.* 62., 63., 64., 274., 268.; *J. M. H. V. I.* coll. I. 4.; *Ord.* 1681. art. 17. *du Capit*; *Cod. Merc.* art. 232., 234. Posteriore igitur casu si pecuniam habet, eam recte ad instrumenta emenda adhibet. Si vero ea eget, confecto instrumento, quo de necessitate impensarum constat, a praecipuis nautis confirmato (*procès-verbal*), Judicis veniam petere debet, ut pecuniam mutuam sumat, bonave mercatorum obliget vel vendat. Est autem hoc casu, quemadmodum in ceteris causis, quae magistri officium spectant, Judex competens *Tribunal Mercatorium*. Eo deficiente, adeundus est in nostris regionibus Judex Pacificator, apud exteros Consul nostri populi, denique, si hic in eo loco non inveniatur, Magistratus loci auctoritas imploranda est. *C. de C.* 234.

Consuetudinem locorum definire, quaenam sint ea, quae necessario requirantur, facile patet. Ubi inventarium adest in nave, curare debet maxime, ut omnia, quae eo continentur, in nave adsint, instrumenta. Nam jure mercatores ex eo de instrumentorum conditione judicant. Cf. JACOBSEN, *Seer.* II. I. pag. 118. coll. *Conf. mar.* cap. 90. Enumerant autem et leges antiquae et, qui de re nautica scripserunt, auctores plerique varias res, quae in nave adsint oportet. Sic lege Philippica art. 2. *van Schipshk.*

*Schipsk. en Breuk.* 1563. sancitum est, ut ad ligandos maleficos vincula in nave haberi deberent. De instrumentis ad defensionem necessariis, quae in nave deberent adesce, egit eadem lex titulo *van toerust. van schepen*, cui similis est lex Gallica anni 1584. art. 60. Cf. CLAIRAC, *Jur. de la mar.* art. 55. *Cons. mar.* cap. 65. et 66. requiritur, ut sit semper *felis* in nave, quae si culpa magistri non adsit, omne damnum a muribus datum hic debet restituere. Sic jure Romano, si fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint ex l. 13. §. 6. ff. *locat.* de damno tenetur. Potest autem mirum videri de felibus apud omnes fere scriptores fieri mentionem, cum cetera instrumenta, quae necessaria videantur, omittant. Cf. CLAIRAC, *Guidon de la mer*, cap. V. 8.; ROCCUS, *de navib. et nauolo*, not. 48.; KURICKE, *ad J. Mar. II.* III. 19. (1) Haec autem similiaque ex sola consuetudine pendent. Itaque sicubi mos esset curandi, ut semper *canis* esset in nave, quo depellerentur ratti, etiam haec ad navis instructionem pertineret, et proinde, qui eam comparare neglexisset magister, omne damnum datum praestaret (2). —

## §. 3.

(1) De CASAREGIS, STRACCHA, SANTERRA et TARGA, idem affirmantibus, vid. EMÉRIGON, *des Asjur.* cap. 12. 4. Vid. etiam *Pr. Landr.* II. 8. §. 170. 8.

(2) Hodie plus mali navibus a iactis inferri, quam a

§. 3. *De navis legitime inspiciendae jure Gallico constituta ratione, quae apud nos usu non venit.*

Est autem operae pretium hoc loco observare, jure scripto, antequam instructae jam navis onus possit imponi, requiri, ut publica auctoritate visitetur navis, ut constet de ejus conditione, quo tutiores sint *assecuratores*, omnesque ceteri, quorum interest, navem aptam fuisse, quae mari crederetur. Jusfa autem primum est haec inspectio in Gallia *declaratione*, quae dicitur, Regis *diei 17. Aug. 1779.*, quae quum non satis universe per Galliam observaretur, decretum Consilii *diei 2. Mart. anni 1782.* ei vim addere tentavit, atque in *Cod. merc.* deinceps confecto hocce placitum omisum non est. Cf. art. 225. Nempe jussum est, ut juxta ea, quae jam habebantur placita, fieret haec inspectio, ejus scripta narratio conficeretur, quae apud tribunal mercatorium deponeretur, et cujus breviarium tribueretur magistro, qui illud semper haberet secum. art. 226. Sed cum haec

res

muribus, auctor est JACOBSEN II. I. pag. 186., ubi casum memorat navis alienjus portum intrare coactae, quoniam ratti magno numero in nave aderant, qui, cum in ea deficeret aqua, tignum corrodebant, ut eam haurirent.

res ante Codicem mercaturae in ipsa Gallia fuerit neglecta adeo, ut *sperarent* tantum, qui in Codicem eam exponendam duxerint, fore ut sic ea rectius observaretur (1), et quum praeterea iste mos antiquitus apud nos non obtinuerit, mirum non est jus Gallicum eam inducere non potuisse. Cf. *supra*, §. 2. Quin videtur etiam haec ipsa res ad eas referenda, quae docent, tum univérse, eundem legum Codicem duobus populis diversissimae indolis minime convenire, tum vero imprimis nostros mores majorem semper fidem hominibus habuisse, quam Gallicae legis placita, optimo jure hoc nomine saepe reprehensa. Sed haec obiter! Nostri autem navium magistri, cum hocce instrumentum ita exhibere non possint, facile oriri possunt quaedam difficultates, si in alio loco de eo quaeratur, an tempore itineris suscepti apta fuerit navis, quae iter conficeret nec ne. Nam ex art. 225. et 226. Iudex, imprimis Gallicus, loci, in quo rite observata sunt eadem haecce Codicis mercaturae placita, requireret illud instrumentum, atque, eo non exhibito, facile dolum subesse suspicaretur. Verum enim vero debet hoc casu

ma-

(1) Curia provocationis *de Rouen* in suis Observ. dixit :  
 „ les reglemens rendus a cet égard ont été negligés ; —  
 „ si l'on en fait un article dans le Code, *peut-être*,  
 „ sera-t-il plus strictement observé. ” Cf. LOCRÉ ad  
 art. 225.

magister tantum probare in patria hosce articulos executioni numquam datos, sed moribus esse abrogatos. Nam *impossibile nulla est obligatio*.

§. 4. *De scriptis instrumentis, quae, priusquam iter suscipiat, sibi comparare debet magister.*

Recte observatum est in vetere libello Gallico *le Guidon de la mer*, V. 33., cujus jam saepius mentionem fecimus, magistrum, antequam vela pandat, vectigalia solvere, cetera agere, atque omnia ea scripta sibi comparare, quae singulorum locorum consuetudine requiruntur, si minus illud fecerit, omne damnum ita datum praestare. Jure nostro autem magister, tum ea, de quibus infra videbimus, instrumenta, scilicet illud quo familia nautica exhibetur (*rôle d'équipage*), quo de conventionibus ad onus pertinentibus constat (*charte partie*), et quo onus receptum esse declaratur (*connaissement*), tum vero etiam, de quibus jam nunc videndum, fecum habere debet instrumenta, quibus de navis dominio, de impetrato jure navium Belgicarum, denique de vectigalibus solutis fides fieri potest. Nam de eo quod hodie a Belgicis magistris instrumentum inspectionis legitima non possit exigi proximo §. jam vidimus. Cum autem ipsi  
ma-



magistro vix otium est haec instrumenta, ut recte sese habeant, procurandi, expeiri illud fere solet ab iis, quos *Scheepsmakelaars* et *Cargadoors* dicimus. Hamburgi autem a Registratore Ammiralitatís, qui dicitur, inspiciuntur ea instrumenta, ut ea recte sese habere certum sit. Cf. JACOBSEN, II. 1. pag. 132.

Requiritur autem, ut justo instrumento de navis dominio constet, imprimis propterea, quod, bello exorto, saepe ea de re quaeritur, et tum exercitoribus, tum etiam mercatoribus, damnum potest oriri, si non recte de eo constet, utrum hostium an vero sociorum, aut mediae gentis in bello navis sit. Praeter instrumentum, quod aedificata nave aliquando conficitur (*de bylbrief*) (1), imprimis etiam emptionis venditionis (2) tabulae ad declarandum dominium valent. Sed posset etiam de eo constare ex instrumento donationis, ex tabulis rei judicatae, aliove cujuscumque generis scripto legitimo. Cf. JACOBSEN, *Seer.* I. 2. pag. 37. sqq.

Alterum instrumentum quod indicavimus illud est, quod in Cod. merc. *l'acte de francisation*, a JACOBSENO, *das register belgice de*  
zee-

(1) *R. Seer.* art. 163. et 164.

(2) Quae scripto celebranda est *C. de C.* 195. et cujus, teste JACOBSEN, *Seer.* I. 2. pag. 27., plerumque publicum conficitur instrumentum.

*zeebrief* nuncupatur. Definiri potest instrumentum, quo constat veniam esse impetratam, ut navis insignia gerat nostrae gentis, adeoque omnibus juribus utatur, quae nostris navibus propria sunt. Lex de eo lata est in patria die 14. mens. Martii anni 1819. Cf. *Staatsbl.* 1819. N<sup>o</sup>. 12., qua sancitum est, ut, sublatis prioribus omnibus, quae hanc rem spectant, legibus, nulla navis, mercaturae causa in mare immisa, jus haberet, nostri regni insignia (*de Nederlandsche vlag*) gerendi, nisi hocce instrumento foret instructa. Continet illud, omnibus Magistratibus inscriptam et Regis nomine concessam, declarationem, navem, quae instrumento accurate est describenda, in patria esse aedificatam ejusque dominos esse Belgas, atque proinde ei privilegia peti, quibus nostrae naves fruuntur. Extra regni fines aedificatis navibus tantum ex speciali consensu Regis hae litterae tribuuntur. Ceterum de ratione, qua petantur, de tempore, in quod vim habeant, denique de cautelis, ne falsis litteris navis instructa sit, videri potest ipsa lex citata, quae a magistris, ne mulctae poenam saepius subeant, accurate est pernoscenda.

Quod autem diximus illis instrumentis, quae necessario secum habere debet, accedere etiam apochas illas, quibus de solutis vectigalibus constet, harum facile haec ratio esse intelligitur, quod

quod, nisi secum eas habeat magister, de eo non satis constat, an reip. quae ipsi debentur tributa sint, adeoque metus est, ne fraudati census reus fiat magister, et detineantur navis et perces. Quatenus autem hae ad merces referuntur, jussit art. 282., ut intra 24 horas, postquam onus navi impositum est, magistro eas tribueret mercator. Quae vero navem respiciunt, ipsius magistri cura eorumve, quibus ea ab ipso mandata est, comparantur.

Atque haec quidem de illis, quae in art. 226. *Cod. merc.* enumerantur, instrumentis. Possumt iis, ex variis temporibus, varia accedere. Sic si, bello exorto, a summo Imperante jussum fuerit, ut non nisi certis litteris instructae mari committerentur naves, haberet, quam sibi culpam imputaret, Magister, sine iis litteris solvens. Quod vero ad ea attinet, quae recte quidem ad tutandum navem adsumuntur instrumenta, sed tamen non necessario requiruntur, exercitorum est despiciere, utrum velint ea adhibere nec ne. Hujus generis sunt v. c., quae, ut tuta sit navis a piratis Turcicis, adhibentur (*Turksche paspoorten*), de quorum vi et efficacia et comparandorum ratione supra citata lex diei 14. Mart. anni 1819. obtinet hodie.

§. 5. *An magistri sit curare, ut navis assecuretur.*

Cura ut, inito assecurationis contractu, itineris periculum ab exercitoribus avertatur, ex mandato, quod magistro datum est, minime deducenda videtur. Unice a voluntate exercitorum pendet, utrum in se ipsi suae rei periculum velint suscipere, an vero illud in alios transferre. Quod si igitur, graviori quadam causa motus, absentibus exercitoribus, assecurationis contractum iniverit, dijudicanda res est secundum regulas *negotiorum gestionis*. Et contra si illud non fecerit, cum interfuerat exercitorum illud factum fuisse, hoc ei vitio verti non debet. Habent illi quod sibi imputent, magistro illud mandatum non fuisse. Tacent fere circa hanc rem leges positivae, in quibus dubitatum non est, quin tantum ad eos, quorum interest, pertineat, utrum periculum a se avertere velint nec ne. Add. BENECKE, *Asf. Wef.* I. 3. pag. 343. Neque distinguendum, utrum magistro tributa sit quaedam portio navis nec ne. Nam etiam socius nullum jus habet statuendi, utrum socii portio assecuranda videatur nec ne. Ceterum nihil ad hanc quaestionem efficere, utrum magistro facultas cum mercatoribus de onere contrahendi relicta sit, nec ne, sponte intelligitur.

## S E C T I O A L T E R A.

DE PACTIS INTER MAGISTRUM NAVIS ET  
MERCATORES, ATQUE OBLIGATIONIBUS  
HINC ORIUNDIS.

§. I. *De pacto navis onerandae.*

Quem exercitorum nomine cum mercatoribus inire magistri solent, contractus est *locationis conductionis*, quo hic navem ejusve partem mercatori concedit, ut ei hujus merces imponantur, in certum locum devehendae, quove certa quaedam mercium pondera aut volumina transferenda fuscipit, pro certa quadam locatio- nis mercede.

Dicitur autem ille contractus *charte partie*, quippe cujus leges inscriptae fuerunt olim in charta, quae in binas partes scindebatur sive partiebatur. Alia voce eum vocant etiam *affrètement* et *nolisement*, a voce *fret*, quam a Latinorum *fretum* et *nolis*, quam a *naulum* putant derivandam. Cf. CLAIRAC, *Jurisd. de la mar.* art. I. N. 7. art. XVII. N. 2. et art. XIX.; POTHIER, *Contr. mar.* N. 1. 2. et 3.

Scriptura ad esentiam contractus pertinere non debet, et possunt recte de rebus vilioris pretii minorisque momenti pacta iniri, quae fo-

lis testimoniis probentur; verum cum diversissimas leges constituere possint partes, cum tempus definiendum sit, quo navis parata debet esse ad onus recipiendum, et intra quod, mercator suas merces in navem intulerit, oportet, cum de mercede locationis statuendum sit, ceteraque hujusmodi condiciones possint accedere, de quibus facile lites existunt, prudenter fancivit legislator, probationis gratia in scripturam redigendum esse contractum, sive privatam illam, sive publicam apud tabellionem. *Ord.* 1681. art. 1. 2. et 3. *des chartesparties*; *Code de Comm.* art. 273. Cf. etiam *J. Dan.* IV. 2. 2.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1620. et 1622. *R. Secr.* art. 125. et 126. Requiritur autem in hoc contractu, ut constet:

1. de personis contrahentibus;
2. de nave, in qua transferendae sunt merces;
3. de eo, utrum navis, vel tota, vel pro parte locetur; utrum conducantur certa mercium pondera aut volumina; an certae etiam res, nulla ponderum voluminumve habita ratione, transvehendae suscipiantur;
4. de tempore, ad recipiendum onus, iter inchoandum et absoluto itinere exonerandam navem constituto;
5. de pretio locationis.

De quibus singulis videamus!

De personis contrahentibus ipsis constare oportere, non est, quod multis exponam. Sunt illi ab altera parte Exercitor vel pro eo Magister, qui locat, *le frèteur, de vervrager*, ab altera mercator, qui conducit navem, *l'affrèteur, de bevrager*. Sed enuntiandum imprimis est navis nomen, quis magister sit, atque quaenam navis magnitudo; quorum, uti singula indicanda sunt, ut constet, de quonam navigio cogitaverint partes, cum alia firmior esse solet, alia debilior, alius generis navigium tutius ad haec, alius vero ad alia itinera rectius adhibetur; ita tunc imprimis magnitudo navis declaranda est, cum ea universa, vel pro certa quadam parte, dimidia tertiave locata est. Itaque magister, qui majorem navem declaravit, quam est revera, nisi justa causa sit ignorantiae, omne illud, quod mercatoris interest, ei praestare debet. Verum tamen, cum non facile de vera magnitudine navis accurate constat, non nimis stricte, sed cum aliquo temperamento haec regula debet accipi. Atque proinde prudenter jure nostro est constitutum, ut indemnem mercatorem non praestaret, cum navis tantum 40<sup>3</sup>. parte minoris esset capacitatis, vel peritorum legitima declaratio-  
ni (1) magistri indicium conveniret. *C. de C.*  
art.

(1) *Certificat de jauge*. Ceterum de ratione computandi

art. 289. et 290. coll. *Ord. 1681. du fret.* art. 4. et 5. — Nomen magistri indicatur tantum, quo accuratius constet, de quam nave cogitaverint partes. Itaque eo nihil derogatum intelligitur juri, quod, nisi expresse contrarium pactis est constitutum, semper retinent exercitores, data opportunitate dimittendi magistrum, aliumque in ejus locum praeficiendi. Profecto nullus justus ita metus est, ut recte gerantur res mercatoris. Nam etiam exercitoribus expedit, ut magister is sit, qui officio suo recte fungatur. Deinde qui sibi metuunt mercatores, possunt stipulari, ut non, nisi certo magistro duce, res suae transferantur.

Ubi vero de nave constet, necessario exponendum est in ea scriptura, quid circa eam pacti sint contrahentes. Scilicet an navis universa, atque *per aversionem*, locata sit, an vero universa quidem, sed ratione habita capacitatis; an forte dimidia, tertia, quarta pars locata sit; an vero conducta sint certa mercium pondera aut volumina; vel etiam, nulla ponderis voluminisve habita ratione, certae conductae sint merces. Si pondus indicatur dicitur *louage au quintal* (*bevraging by het last*), si vo-

lunavis capacitatem conferri possunt, quae habet Clariss. Praeceptor J. H. VAN SWINDEN, *over de maaten en gewigten*, §. 244. sqq. Deel II. bladz. 421. sqq.



lumen: *louage au tonneau (by de ton)*. Quod si locationi conductioni ea conditio accedat, ut iter non necessario fit suscipiendum, nisi intra certum tempus alii mercatores inveniantur, qui reliquam navis partem conducant, dicitur magister *louer a cueillette, stukgoederen laden*. Hoc casu, nisi opportune ejusmodi conductores inveniantur, defectu conditionis, evanescit contractus. Sed quid si inveniantur quidem, sed non tamen tot, ut tota omnino navis mercibus repleri possit? Et dicendum quidem si particulae fortasse minores vacuae sunt relinquendae; bonam fidem saepe non pati, ut magistro atque exercitoribus concedatur facultas resciliendi a contractu. Nam, quemadmodum de justa navis capacitate ita accurate constare non potest; sic vix ac ne vix quidem possunt pactis omnes navis partes locari. Deinde si certa pondera a magistro conducta sunt, prouti majoris minorisve voluminis merces sunt, major minorve locus in nave superest. Denique majus naulum recipit propterea, quod non universam navem locat, sed merces singulares conducit. Merito igitur a legislatore definiatur, quaenam pars navis vacua relicta efficiat, ut dici possit conditio defecisse. At vero, si lege de ea re cautum non fuerit, ex consuetudine lis dirimitur, quae quidem ea erat in Gallia, teste VALINO, *ad art. I. des chartesp. Ord. 1681.* et LOCRÉ. *ad art. Cod.*

*merc.* 286. N. 6., ut sufficeret modo totius navis tres quartae partes mercibus essent repletae.

Tempus deinceps solet addi in contractu, intra quod onus suscipi a magistro et imponi debet a mercatore, atque intra quod post iter confectum navis est exoneranda. Hoc si definitum non est, deficiente jure scripto, secundum locorum consuetudinem est expediendum. *Cod. de Comm.* art. 274. *Ordonn.* 1681. art. 4. *des chartesparties*. Postulat autem illa plerumque dies 14., qui dicuntur *ligdagen, jours de planche* (1). His diebus exactis, atque nondum imposito onere, habet magister contra mercatores, vel hi contra illum, prouti horum vel illius culpa sit, actionem instituendam ad id, ut indemnes habeantur. Quae quum non semper facile certâ quadam pecuniae summa aestimari potest, utile omnino est, si in ipso contractu definiatur, quid poenae nomine praestandum sit ab eo, qui morae locum dedit. Hinc autem est, quod in *Cod.* nostro art. 273. inter ea, quae referri debent in locationis contractum, ea poena etiam recensetur. Atque olim quidem, ultra tempus pactis definitum, oneris impositionem

(1) Cf. VALIN, ad d. art. 274. Jure Borussiae, prouti majoris minorisve magnitudinis navis est plures paucioresve hujusmodi dies requiruntur. Cf. L. II, tit. 8. §. 1635. et 1636.

nem differenti mercatori adhuc 14. dies concedebantur, et post hos demum exactos, actio erat instituenda. *Wb. Z.* art. 34.; *J. de O.* art. 21. Jure patrio antiquo requirebatur hujus dilationis petitio, cujus is erat effectus, ut, intra 14. illas dies onus inferenti, mercatori nihil praeter impensas in moram solvendam fit et, exactis demum illis, universum naulum cum impensis morae possint peti. Art. 5. *van Schipp. en Koopl.* 1563. DE GROOT, *Inl. tot de Holl. regtsgel.* III. 20. §. 4. Ex eo autem, quod pactis poena fit constituta in singulos dies morae, partibus facultas minime relicta intelligitur obligationis perfectionem quamdiu velint differendi. Regula juris communis hic obtinet et hoc casu - Judex ab altera parte adeundus est, qui pro variis temporibus atque rerum conditionibus, vel contractum sublatum esse judicet, vel dilationes certas adhuc concedat. *Cod. Civ.* 1184. Efficit ea poena tantum, ut non quaerendum sit, quaenam summa pro eo quod interest, solvenda sit. *Cod. Civ.* 1229. Cf. *J. Borusf.* II. 8. §. 1645.

Quod autem ad naulum pertinet, potest vel in universum iter, vel in singulas menses constitui. Sed, cum mercatorum intersit, ut brevi tempore merces transferantur, posterior haec ratio hodie fere non amplius obtinet. Quod si tamen aliquando usu venerit, nisi aliud actum sit, a tempore, quo portus relictus est et vela

vento data sunt, naulum deberi incipit. *Cod. de Comm.* 275. coll. art. 5. *des chartesparties Ordonn.* 1681. Putat autem VERWER, ad art. I. *van Schipp. en Koopl.* 1563., nisi expressae leges in contractu sint scriptae, dubium esse admodum, an, in medio itinere pereunte nave, naulum pro rata parte itineris jam confecti solvendum sit nec ne. Verum enim vero, quemadmodum de menstruo stipendio magistri superiore capite diximus, ita etiam in hoc casu nobis dubium non videtur, quin mensium in definitione nauli mentio tantum facta sit, ut de ratione illud computandi constet, et brevioris itineris commodum, productioris vero damnum in se fuscipiat mercator. Aequae atque in casu, quo naulum in universum iter constitutum est, mercator merces locat, et magister eas conducit, in certum locum transvehendas Non possunt igitur hoc casu aliae leges obtinere, atque in illo valent. Sed naulum quidem quando debeat, infra dicendum est (1). De eo constat, vel ex tabulis contractus, vel etiam ex eo instrumento, quo bona in navem illata esse agnoscunt partes (*cognoscement*). Nam fieri saepe potest, ut, cum res minoris momenti sint, de iis nisi ex hoc instrumento nihil constet. *Ord.* 1681. art. 1. *du fret.*; *C. de C.* 286.

Sed

(1) Cf. Cap. IV. 2. §. 2.

Sed quid, si definitum non sit naulum, res tamen transferendae, consentiente magistro, in navem illatae sint; quomodo hoc casu naulum erit definiendum? Bona fides profecto postulat, ut *in obscuris inspiciatur, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.* L. 114. ff. de reg. juris. Est autem hoc casu maxime verisimile, contrahentes aequo pretio merces transferri voluisse, quamobrem erit consequens, ut sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. L. 34. ff. de R. J. Quod si neque mos regionis appareat, quia varius fuit, Jus Romanum ad id, quod minimum est, summam putat redigendam d. L. 34. coll. L. 9. ff. de R. J.; AVERANIUS *Interpr. Jur.* IV. 17. Nostris vero moribus huic placito fere derogatum esse videtur. Nam rerum atque operarum hujusmodi pretia accuratius hodie sunt definita. Solemus adeo res ejus pretii aestimare, quod inter summum et minimum medium est, quod sane aequitati magis videtur consentaneum, licet caeteroquin, quod veteribus *ICtis* jam placuit, pactionem obscuram vel ambiguum venditori, et qui locavit nocere jure hodierno minime sit abrogatum; et jure Borussiae, quoties operationis Contractus scripto expressus non sit, hodieque minimum naulum ex expressis legis verbis solvendum sit. Cf. L. 39. ff. de pactis; *Cod. Civ.* art. 1162. et 1602.; *Pr. Landr.*

II. 3. §. 1628. Add. POTHIER, *Contr. mar.* 8.; *le Nouv. Valin ad art. Cod. merc.* 274. Similis plane ratio est contractus, cum vectoribus initi, atque ejus, quem cum mercatoribus inivit magister. Quemadmodum hi de suis mercibus, ita illi de semetipsis transmittendis pacti sunt. Itaque, quae de horum jure et praestationibus diximus, ad illos fere sunt transferenda. Animadvertendum est apud ceteras gentes rarius eorum nomina in instrumento, quo cetera familia nautica exhibetur, indicari, apud Franco-Gallos contra eo omnes omnino, qui navem itineris faciendi causa conscendunt, exhiberi. Cf. JACOBSEN, II. 2. pag. 177. et II. 3. pag. 217.

§. 2. *De recipiendo onere et instrumento, ex quo onus impositum esse constat.*

Instructam navem justo tempore paratam exhibere debet magister, quae onus recipiat. Quod si culpa sua parata non est, praestat mercatori quod hujus interest, nisi ipso locationis contractu poena sit definita, loco ejus quod interest solvenda. Eadem ratione mercator etiam ad merces justo tempore conferendas cogitur. Prohibito autem commercio, cum ea regione, in quam navis tendere debuisset, vis major adest, quae utrumque contrahentium prohibet, quominus flet pactis. Itaque, nondum suscepto itinere

nere, simpliciter resolvitur contractus et magister fert impensas in instruendam navem erogatas; mercator vero eas, quae in onere imponendo et demendo deinceps factae sunt. *Ord.* 1681. art. 7. *des Chartesparties*; *C. de C.* 276. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1650. 1651. 1677. ad 1685. Sin vero, velis jam datis, interdicatur jus istas regiones adeundi, iniquum foret, si solus magister omnes impensas ferre cogeretur; ideoque sancitum est, ut naulum in abitum statutum possit petere, sed illud quod in reditum stipulatus fuit amittat; etiamsi in iter continuum, id est in abitum atque reditum simul, naulum fuit constitutum. *Ord.* 1681. art. 15. *du fret ou nolis*; *C. de C.* 299. Profecto, licet hoc casu per eum non steterit, quominus pacta sua impleret, aequum tamen videri non potest, hoc ipsum, quod pactorum executionem prohibet, mercatoribus damnum, simul vero summum commodum afferre, magistro, idem naulum pro breviori itinere nanciscenti. Observandum autem est, interdictum commercium non censeri, si tantum in eum locum appellari non potest, in quem tendebat navis, cum omnino requiratur, ut totius illius regionis nullus locus adiri possit arg. art. 279.; nisi jusserit mercator, ut, vel in locum propositum penetraret, vel reduceret merces.

Quod si vis major non, quemadmodum in  
pro-

prohibito commercio; ejus generis fit, ut in tempus prorsus incertum, quod etiam perpetuum videri potest, existat; verum ejus naturae, ut tantum per certum aliquod tempus possit obtinere, puta si navis detineatur, non solvitur contractus; sed tantum ejus consummatio differitur; nulla vero debetur poena propter tardius susceptum iter, neque augmentum nauti propterea, quod in longius tempus productum est. *C. de C.* art. 277. et 300. coll. *Ordonn.* 1681. art. 8. *des chartesp.*, art. 16. *du fret ou nolis.*; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1681. et 1695. Quae autem in alimenta atque in stipendia nautarum, tempore detentionis, impenduntur, communi contributione solvuntur *d. art.* 300. et *Ord.* 1681. art. 16. *du fret ou nolis*, et mercator merces tempore detentionis, si velit e nave auferre, atque deinceps iterum imponere, facere illud potest, sed suis sumptibus et ea lege, ut, nisi casu iterum imponat, magistrum pro eo, quod pactis suis non stet, indemnem praestet. *C. de C.* art. 278. coll. *Ord.* 1681. art. 9. *des chartesp.* Borusorum vero legibus facultas, merces interea e nave auferendi, ad res fungibiles est restricta. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1696.

Porro si nulla vi majore coacti onus imponere detrectent, vel impositum onus e nave iterum auferre cupiant mercatores, lege definitum est, quaenam summa indemnitis nomine praestantur.



tanda sit magistro. Unicuique scilicet mercatori licet, antequam merces navi impositae sunt, solvere contractum et, oblata dimidia nauli parte, denuntiare magistro, se nullum onus esse impositurum. *C. de C.* art. 288. §. penult. (1)

Si vero merces, vel univasas, vel earum partem, in navem inferri passus est, de iis mercibus vel de ea mercium parte res integra amplius non est; adeoque debet magistro universum naulum solvere, arg. *C. de C.* art. 291.; de cetera autem mercium parte, in navem non illata, nulla ratio est, cur non dimidia parte nau-

(1) Olim secundum *Conf. mar.* cap. 81. et 82. qui onus, quod promisit, non praestat, simpliciter impensas a magistro factas refarcire debebat, nisi tum demum se merces navi non impositurum declaravit, cum illae versus mare jam erant perductae, quo casu tertia pars nauli erat solvenda. Cujus autem merces jam omnes, vel pro parte, in navem erant illatae, is dimidiam nauli partem solvebat, modo iter nondum esset susceptum. Nam tunc universum naulum erat praestandum. Ubi vero nulla mercatoris culpa interveniret, nihil praeter partem impensarum ille solvit *Conf. mar.* 78. coll. 79. Positum autem ex aliis locis ejusdem libri videri magister, nisi justa causa sit, cur mercator suas merces transferri nolit, jure eum cogere ad implendum contractum praestandumve universum naulum. Cf. *Conf. mar.* cap. 182., 257., 262. N. 1. Quod igitur licet juxta cap. 82. et 83., vetitum est his capitibus, adeoque peritibus, nisi fallor, hae legis dispositiones ad eas antinomias, quae hic illic in hoc libro inveniri in Introductione indicavimus.

nauli soluta, liberetur, nisi omiserit mercator magistro indicare, se nullas merces amplius in navem esse illaturum, et hic adeo nullis aliis mercibus, antequam vela jam ventis data sunt, in earum locum conductis, iter suscipere debuerit. Nam hoc casu unversum naulum solvendum est. Ita intelligendus d. art. 288. §. ult. Ab hac regula mercium illatarum unversum naulum esse praestandum, si eas e nave auferre voluerit mercator, exceptio est in iis locationibus, quae fiunt hac lege ut, nisi tot mercatores inveniantur, ut navis mercibus repleatur, rescindatur contractus (*Stukgoederen vragt*). Scilicet omnes impensas non tantum impositarum et sublatarum mercium suarum; verum etiam omnis mutationis, propter has merces demtas in ratione, qua onus navi est impositum faciendae, ipsius deinde morae, cum dimidia nauli parte, solventi mercatori tributum est jus merces auferendi, modo faciat illud ante susceptum iter, art. 291. *du Code de Comm.* coll. *Ord.* 1681. art. 6. *du fret*. Suscepto vero itinere non ademptum quidem domino jus est statuendi de re sua pro arbitrio, verum jure sperati lucri jacturam sic facere magister non debet, adeoque solvendum est a mercatore nihilominus unversum naulum cum omnibus impensis in tollendas merces et mutandum, quo ceterae erant dispositae, ordinem factis. *C. de C.* 293. *Ord.* 1681. art. 8. *du fret*.

Sunt

Sunt autem merces imponendae secundum consuetudinem locorum, et sicubi bajulorum ope ea res expediri soleat, ibi cogi non potest magister, ut solus illud cum nautis faciat. Univerſe autem dicendum videtur, magistri officium, quod ad merces attinet, incipere demum, a quo tempore in navem illatae ſunt. Itaque ſuntus omnes ipſius mercium imponitionis ad mercatorem pertinent, et ſi quae merces vel deteriores factae vel deperditae ſunt, dum vel in littore adhuc jacebant, vel minoribus navigiis ad navem vehebantur, omne illud damnum ad mercatorem pertinet, niſi custodiam in ſe prius ſuſceperit magiſter, vel ſpecialis cauſa ſit, cur damni auctor arguatur. Cf. *Conf. mar.* cap. 70. Vid. etiam *Pr. Landr.* II. 8. §. 1626. Quod ſi vero aliquo in loco non habeantur bajuli, qui in onerandis navibus operas locare ſolent, recte introductum eſt, ut nautae a magiſtro cogi poſſint ad hanc rem expediendam, ſed hoc nomine extraordinarium ſtipendium acciperent. Cf. *Conf. mar.* cap. 72. Quemadmodum autem in priore caſu a bajulis, ſic hoc caſu a magiſtro ceteriſque nautis damnum, in oneris imponitione culpa datum, mercator poteſt repetere. Sed obſervandum eſt, bajulos, cum peritiam profeſſi ſunt, majorem diligentiam praestare oportere, quam nautas, qui demum, quod non adſunt bajuli, lege coacti, operas ſuas praestiterunt.

Imprimis autem opera danda est magistro, ut omnia recte in nave disponantur et ipsarum mercium, non vero dominorum, quorum alius fortasse majus, alius minus naulum solvit, habeatur ratio. Cf. *Conf. mar.* 61., 67., 68., 69., 183.; *Guidon de la mer*, art. 9., 10., 11.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1475. ad 1482; *Ord.* 1681. art. 8. *du capitaine*; *C. de C.* art. 405. Res aridas in superioribus, liquidas in inferioribus locis collocandas, jubet *le Guidon* l. cit. Atque de eo quidem, quod in navis confrato sive tabulato (sic vertunt, quod Graeci, teste DEMOSTHENE *adv. Phorm.* pag. ed. Wolf. 586. τὸ κατάσραμα vocarunt, et nos dicimus *de overloop*.) nulla onera sint imponenda, omnes fere leges consentiunt. *Conf. mar.* cap. 183., 246., N. 3.; *J. M. H.* III. 2.; WEYTSSEN, *over avaryen*, §. 60.; art. 8. *van Schipbr.* 1563.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1666.; *C. de C.* 229. et 421. Exceptio est, si dominus mercium illud scripto probaverit. *C. de C.* art. 229, coll. *Conf. mar.* cap. 183. Universe autem, quidquid damni datum fuerit eo, quod nimium onus navi est impositum, magister ea de re tenetur, siquidem hic is est, qui quid vires navis ferant optime scire debeat. Cf. *L. un. Cod. ne quid on. publ.*; *L. 1.* §. 47. *si quadr. paup.*; *L. 7.* §. 2., *L. 27.* §. 23. *ff. ad leg. Aquil*; *Jus navale Rhod. excerpt.* cap. 22.; *J. M. H.* III. 2;

Wb.

*Wb. Z.* art. 42.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1483. et 1484. Adagium est „magistrum vires suae na-  
„vis ita notas sibi habere oportere, atque eques  
„vires noscere solet sui equi.” *JACOBSEN, Seer.*  
II. 1. pag. 125.

De mercibus, quae in navem illatae sunt, con-  
stat ex instrumento de eo confecto, quod dici  
solet vulgo *het cognoscement, le connaisse-*  
*ment* (1), vel etiam *le police de cargaison.*  
Latine vertunt *apochae oneratoriae*, vel *litte-*  
*rae recognitionis*, vel etiam *nomenclationis.*  
Est autem illud ejusmodi, quo magister agnoscit  
quaenam res receperit, et quo mercator profite-  
tur, ad quem eas mittat et quale naulum pro iis  
promiserit. Nam hoc maxime interest inter eas,  
quae olim conficiebantur, easque, quae nunc re-  
quiruntur, hujusmodi tabulas, quod antea, a so-  
lo magistro signatae, contra hunc imprimis vim  
habuerint, hodie vero etiam ab oneratore sub-  
scriptae, etiam contra illum probationis causa  
possint proferri. Vid *Guidon de la mer*, II. 8.;  
*Ord. 1681.* art. 1. *des connaisf.* coll. *C. de C.*  
art. 282. Quam maxime diversum esse hocce  
instrumentum ab eo, quo ipse contractus de  
oneranda nave celebratur, nemo non videt.

Et-

(1) Vocem fluxisse putant ubi Itatorum *conoscere, conos-*  
*cimento.*

Etenim constat potissimum ex hoc, utrum legibus in illo scriptis obtemperatum sit nec ne.

Enuntiantur autem in eo imprimis haecce:

1. quis sit ille, qui merces transferendas iussit;

2. cui mittantur eae, sive hic certa persona indicetur, sive univeree is, cui deinceps merces tradendas jubeant mercatores (1), addita in priore casu designatione loci, ubi conveniri ille possit;

3. nomen et domicilium magistri, quo facilius possit conveniri, si pacta non servasse videatur;

4. descriptio navis;

5. locus, unde proficiscatur et quo tendat navis;

6. summa nauli, de quo convenit;

7. accurata enumeratio mercium et notarum, quibus sunt designatae, ne lis oriatur de alterius mercatoris bonis, ab alterius mercibus non satis distinctis. *C. de C.* 281. coll. *Ord.* 1681. art. 2. *de connaisf.*

Quatuor huius contractus conscribenda sunt hodie exemplaria authentica, quorum alterum ei, qui onus imposuit, alterum ei, cui mittuntur merces, tertium magistro navis, quartum denique exercitori traditur. *C. de C.* art. 282.

Pos-

(1) *Porteur d'ordre.*

Posterius autem hocce demum jure Codicis exigitur, olim ex *Ord.* 1681. art. 3. *des connaisf.* tribus tantum exemplis requisitis (1). Cum vero olim utilitas maxime locatoris mercium transvehendarum in apochis his spectaretur, ad hunc etiam pertinuit cura conveniendi magistrum intra 24. horas post onus impositum, ut eas signaret. *Ord.* 1681. art. 4. *d. tit.*; EMÉRIGON, *des Asf.* cap. XI. sect. 5. Hodie autem, cum utriusque vertatur commodum, hujusmodi placitum non invenitur, adeoque si omitteret hodie mercator, ei opportuno tempore subscriendas offerre apochas, nullam vero earum comparandarum curam ipse magister haberet, non posset hic ab eo damnū repetere, quod propter eam moram forte passus fuisset. Aliud vero est, si tacite ex locorum consuetudine, vel expresse ex pactis, cum magistro conventis, earum conscribendarum curam in se susceperit mercator.

Vis confecti instrumenti imprimis haec est, ut ex recepto teneatur magister, de omnibus iis, quae eo continentur, atque proinde de iis, quae deperdita sunt, factave sunt deteriora teneatur, nisi praeter suam culpam illud factum fuisse pro-

(1) Jure Danico IV. 2. 2. tria requiruntur. Lege communi Borusforum II. 3. §. 1670. ad 1674., tria aut petente mercatore quatuor exiguntur exempla. Lege Russica vero eorum numerus definitus non est vid. art. 140.

probet. Cf. L. I. princ. et §. 2. ff. *naut. caup. stab.*; *Cons. mar.* 266.; *C. de C.* 283. Cavendum igitur est magistro, tum ne apocham chirographo confirmet, antequam merces re vera in navem illatae sunt (1), tum etiam, ne alia esse conditione et alius generis in ea declarentur, quam sunt re vera. Ex posteriore cautela natus est mos magistrorum addendi in apochis: *se non perspecta sibi habere pondus et internam singularum arcarum et fascium conditionem* (2), *se non probasse eam* (3), mercatores *adfirmasse* (4) arcis et fascibus hoc illudve contineri. Nam externam tantum conditionem earum videt et scriptura probat magister. Quod si igitur, dum onus imponitur, ligamenta fascium rumpantur, vel frangantur arcarum feræ aut cardines, mercatoribus rem statim debet deferre, ne jure ejus incuriæ damnum imputetur. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1633. et 1634. Quod autem ad pondus attinet, quod in litteris recognitionis mercibus tributum est, nisi clausulam ejusmodi, qualem modo indicavimus addiderit magister, videtur merces indicati ponderis re-

(1) Quæ res quam plena periculi sit exemplo ostendit JACOBSEN, III. I. pag. 282.

(2) *Gewigt en inhoud onbekend.*

(3) *Sans approuver.*

(4) *Que dit être.*



recepisse. Cf. POTHIER, *Contr. mar.* N. 17. EMÉRIGON, *des Asf.* cap. 11. sect. 5. Sed de his, ne teneatur apud nos magister navis, vix metus est, cum nostris litteris recognitionis solemnis sit formula, pondus et internam fascium conditionem magistro nota non esse (*gewigt en inhoud onbekend*). Cujus formulae haec vis est ut, quae in ipsis litteris illis continentur ponderis et internae fascium conditionis descriptiones, ad simplicem mercatoris affirmationem restringantur, quae magistrum obligare nullo modo possunt. Quod si queratur igitur deinceps, exonerata nave, mercator, aliud pro alio ipsi tradi, vel minora pondera ipsi exhiberi, atque memorata sunt in recognitionis litteris, nihil ex iis, si recte sese habeat externa fascium conditio, potest efficere, verum alias adferre debet probationes. Sequitur autem ex disputatis, magistrum non tantum suo jure negare mercatoribus, quominus, antequam perfectum iter sit, onus exhibeat, nisi restituantur ipsi omnia harum litterarum exempla, sed etiam si fecus fecerit et jam aliis missum sit exemplar, summum eum pati periculum, ne titulo idoneo instructi ab eo repetant merces, quae e nave jam sunt ablatae. Prohibetur propterea, quominus id fiat, expressis verbis in lege Borusforum Lib. II. §. 1655. et 1656. Ceterum prudenter in *Cod. mere.* art. 284., acque atque in *Ord.* 1681.

art. 6. *des connaisf.*, sancitum est, ut, quo casu diversa essent a se invicem harum litterarum exempla, valeat prae ceteris, quod ab altero contrahentium signatum in alterius esset potestate.

Quod si vero ex hoc instrumento pateat, plures merces a mercatore illatas esse, quam quarum mentio facta est in pactis, videtur magister in illud consensisse, adeoque simpliciter prorata parte augetur naulum. *Ord.* 1681. art. 8. *du fret.*; *C. de C.* 288. Verum si eo nesciente illatae sunt, magister jus habet vel exponendi ea in terram (modo versetur adhuc in loco, ubi navis onus recipit), vel etiam summum naulum exigendi, quod pro similibus mercibus eodem loco ac tempore solvitur. *Ord.* 1681. art. 7. *du fret.*; *C. de C.* art. 292. Cf. etiam *Conf. mar.* cap. 98., 112., 113., 266. et *Pr. Landr.* II. 8. §. 1629.

### SECTION III.

PRIVILEGIUM MAGISTRI ET CETERORUM NAUTARUM PROPTER DEBITA NON CONVENIENDORUM, CUM NAVIS AD ITER SUSCIPIENDUM JAM EST PARATA.

Memorandum adhuc restat privilegium in favorem mercaturae, tum magistro, tum ceteris nau-

nautis, concessum, quo nempe restricta est facultas eos propter debita detinendi, cum in eo sint ut iter jamjam sit suscipiendum. Equidem nescio, an huc referendae sint leges 3. Cod. de *naviculariis* et un. Cod. de *nundinis*. Verum hoc constat, non nostro demum tempore hoc jus invaluisse. In *Conf. mar.* cap. 275. magister, qui aliquamdiu in portu obversatus est, quemque debitores nondum convenerunt in judicium vocari nequit, cum paratus jam est ad iter suscipiendum, et cogitur tantum ut fidejussores constituat. Quin juranti, se idoneos non invenire, sed soluturum cum reversus erit, fides habetur. *Jure Wisb.* art. 6. simili ratione sancitum est, ne magister iis, qui navi regundae praepositi sunt, omnibus paratis, possit privari, sed ut petere tantum possint debitores, ut tradantur ipsis horum nautarum bona, a quibus, quod sibi deberetur repetant. Jurejurando calumniae ab iis exacto, magistri est videre, utrum bona nautarum exhibenda videantur nec ne (1). Jure patrio antiquo ad omnes nautas privilegium exten-

(1) Verba ejus art. haec sunt: *waer daer wat van synen goude in den schepe, dat sal men aentasten by gesworen eede om syne schuld daermode te betalen, en diegene daer gewonnen is, sal syne reise houden als hy gelovet heeft. Dies sal de schipper een regter syn.* Verba ultima vertenda: qui conductus est iter debet perficere, quemadmodum promisit. Hujus rei magister iudex est.

tensum est atque sancitum, ut creditores tantum exigere possent, ut nautarum res tradantur et arresto obligetur stipendium iis solvendum, atque sic demum corpore eos detinere liceret, si, cum eorum bona non sufficiant, alium nautam in ejus locum substituisent. art. 20. *van Schipl.* 1563. Quin ex Decreto *Ord. Holl.* 8. Dec. 1653. arrestatio stipendii permisa tantum est, propter pretium locationis domus alicujus, propter cibaria atque vestimenta empta, quatenus natum est harum rerum debitum, dum stipendium illud mererentur nautae. Vid. VERWER, *Ned. Seer.* pag. 90. Add. KURICKE, *Quaest. Ill.* 27. pag. 885.; *Jus Dan.* IV. 1. art. 36.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1415. ad 1419. *R. Seer.* art. 111. Apud Gallos vero propter nulla debita, exceptis tantum iis, quae itineris ratione contracta sunt, magister vel nauta, postquam navem ad inchoandum iter conscenderit, potest detineri. *Ord.* 1681. art. 14. *du Capitaine.* Quin hodie ex art. 231. sufficit, modo in scaphis sint, quibus versus navem vehantur et, licet debita itineris causa contracta sunt, satisfactione liberantur.

---

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE MAGISTRO NAVIS IN FACIENDO ITINERE.

**A** quo tempore, onere navi imposto, omnia ad iter suscipiendum parata sunt, ad illud usque tempus, quo in locum destinationis appellat navis, magistri obligationes optime dividi posse videntur in eas, quae circa *navem* versantur, quae curam *oneris* spectant, et quae ad communem *oneris simul et navis* utilitatem promovendam pertinent. Neque tamen illa divisione hoc efficere volumus, quasi, ex nostra sententia, eas obligationes, quae ad navem pertinere dicimus, recte praestari, mercatorum nihil interfit, et, versa vice, exercitorum nihil referat, officia erga onus recte impleri. Nam si *per consequentiam*, ex minus recte curata nave, damnum passi sint mercatores, aut ex damni, quod oneri datum est, restitutione, detrimentum acceperint exercitores, dubium non est, quin, in priori casu mercatores, in posteriore

riore exercitores, actionem ad reparationem damni contra magistrum habeant, licet nihilominus causa actionis proxima sit, in illo casu, laetas esse obligationes erga navem, in hoc vero non justam curam oneris esse habitam.

## S E C T I O P R I M A.

### DE MAGISTRI OFFICII CIRCA NAVEM.

§. I. *De cura navis in eligendo tempore ad navigandum apto, in conducendis vadorum exploratoribus, et societate cum aliis navibus nonnumquam incunda.*

Primaria in inchoando itinere, quae exercitores spectat, magistri cura est, ne, quoties ei permisum est de tempore, quo iter incipiat, statuere, alieno tempore illud faciat. Obsolevit hac in re vetus mos Graccorum atque Romanorum, per dimidiam tantum anni partem mari sese committentium, *quoniam hyemis navigatio saepe periculosa est et semper incerta.* Cf. PETIT, *Leg. Att.* V. 5.; L. 3. *Cod. de naufr.*; L. 6. *Cod. de Rect. prov.* (1). Verum,

(1) Vestigium etiam hujus moris superst in *Jure Wisb.* art. 7.

rum, adaucta et exculta magis navigandi arte, et susceptis itineribus in terras multo longius disitas, quam in quas tetenderunt veteres, pro diversitate viae permeandae, est tamen hodieque aliud magis aliud minus idoneum tempus, et, qui alieno tempore iter suscipit, culpa reus est. Cf. *L. 36. §. 1. ff. de rei vind.*; *L. 13. §. 1. ff. locati.*; *Roccus. de nav. et nauo.*, Not. 56. In contrahendo igitur cum mercatoribus diligenter caverit oportet, ne, dum pactis stare cogitur, contra exercitores peccasse videatur.

In solvendo deinceps e portu non est, quod multis disputem, locorum legibus obsequendum esse in praestandis, tum vectigalibus, tum obsequii declarationibus aliisque huc pertinentibus. Sic de cum lege d. 14. Mart. 1819. art. 17. *over de Zeebr. en Turks. passen. Staatsblad*, N. 12., cautum est, ut solventes e portu vectigalibus percipiendis praefectis, cum ad extremas excubias ventum est, litteras nauticas (*Zeebrieven*) exhibeant, et lege d. 12. Maji 1819. *op den oph. van de in- en uitg. regt. en acc. Staatsbl.* N. 20. art. 141. fanciturum est, ut in portum appellentes intra 6. horas publicanum de adventu in eum locum certiore faciant, ut is navem inspicere curet, dubium non est, quin damnum exercitori, ex neglectis his aliisque huiusmodi legum placitis, natum, resarciendum sit a  
ma.

magistro. Cum autem hodie totidem verbis in *Cod. merc.* art. 227. sancitum est, ut, cum navis in portus stationes vel flumina appellat, vel hinc solvat praesens in ea adesse debeat magister, hoc quaeritur, de quo in Codice mentio nulla est, an solvens exploratorem vadorum (*een loots*) semper secum debeat habere, ut navis salva portum egrediatur. Olim illud arbitrio magistri, fiduciam peritiae suae habentis, erat relictum (1), nisi, ut explorator conduceretur, postularent nautae, quorum sententiam hac in re debebat sequi. Cf. CLAIRAC, *Jug. d'Ol.* art. 24. N. 3.; *Guidon* V. 19.; STYPM. III. 5. N. 18. sqq. pag. 322.; LOCCEN. II. 1. 9. pag. 964. Deinceps vero consuetudo distinctionem introduxit, inter ejusmodi maris regiones, ubi conducendi sunt extra ordinem, qui vada explorent, aliasque, per quas navis, solius Gubernatoris opera, est transmittenda (*lootsmans en fluurmans vaarwaters*). Prioris autem generis maxime sunt portus et stationes; ipsum mare ad posterius fere pertinet. Itaque in iis locis, ubi conduci et solent et possunt exploratores, in se

fus-

(1) Ait ULPIANUS in *l. 13. §. 2. ff. locati*: „ si magister „ navis sine gubernatore in flumen navem immiserit, et, „ tempestate exorta, temperare non poterit, et navem „ perdidit, vectores habebunt adversus eum ex locato „ actionem.”



fuscipere videtur periculum, si eos non conducat. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1497.; *R. Seer.* art. 42. Quod imprimis ibi valet, sicubi ex loci legibus, etiam non conductis exploratoribus, pro iis merces tamen est solvenda. Ita cautum est v. c. in patria, *Const. Regis. d. 8. Mart. 1819. bepal. om de vold. van de loots-geld. te verz. Staatsbl.* N. 9., ut si vadorum exploratoribus usi sint, si illud omiserint, jus intromittendi aut educendi navēs a publicanis non acciperent magistri, nisi, exhibitis apochis, solutam esse illis operarum mercedem probavissent. Quae autem *Jure Hansf.* III. 18. et antiquo Patrio, art. 9. *van Schipbr.* 1563., a negligente magistro exigebatur mulcta, hodie nulla est. Cf. *JACOBSEN, Seer.* II. 1. pag. 170. et *VERWER, Ned. Seer.* ad art. 25. *Jur. Wisb.* Conductis autem iis, diligenter debet obtemperare et curare, ut a ceteris quoque nautis eorum iusta perficiantur. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1497.; *R. Seer.* art. 41. Quod ad mercedem horum nautarum, qui extra ordinem et in certam tantum itineris partem conducti, in nautarum Catalogo non referuntur, solvebatur illa, *Jure Patrio* a mercatoribus, magister vero iis cibaria praestabat, nisi merces sex libras *Flandricas*, quae dicebantur, excederet, quo casu, veluti *avaria grosfa*, ex communi contributione praestabatur. Art. 9. *van Schipbr.*; *WEYTSSEN,*  
*van*

*van Avaryen*, §. 8. Hodie vero, nulla habitatione summae, quae praestanda est, distinctio obtinet, quae etiam *Jure Wisb.* art. 59. et 60. indicata est; atque prouti ea extra ordinem propter vim tempestatis et ad salutem navis taque mercium, vel, nulla necessitate cogente, in intrandis portibus et stationibus solvitur, vel a dominis oneris navisque simul, vel, quemadmodum ceterae omnes ordinariae impensae itineris, a solis praestatur exercitoribus.

Fieri autem aliquando potest, ut magistro jussum sit ab exercitoribus, ut non nisi certo praesidio navis bellicae, vel etiam non nisi societate, cum aliis navibus de itinere unâ atque communi periculo peragendo inita, e portu solvat. Aliquando etiam juberi idem potest summi Imperantis, in subditorum utilitatem comparato, edicto (1). Utroque casu obtemperare debet magister, nisi in priore casu pactis cum mercatoribus jure initis prohibeatur, aliave justa impedimenti existat causa. Numquam vero negligentiam potest excusare praetextu, se dereliquisse praesidium, vel naves socias, quo celerius in locum destinatum perveniret. Nam, quod mora et faciendis majoribus impensis damni sic patiantur, id itineris securitate compensari

VO-

(1) Cujus generis quam plurima laudandur ad GROT. *Int.* III. 23.

voluerunt. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1494. et 1495. (1). In ipsa vero societate hac navali, cujus CICERO, *Epist. ad Att.* XVI. epist. I. et 4., jam meminit, eam *ἑμποροίαν* vocans, quae hodie *ammiralitatis* nomine venire solet, par-tium conventa, plerumque in scripturam redac-ta (2), pro lege sunt Circa facultatem magis-tri in ineunda hujusmodi societate, injusfu exer-citorum vel principis, constituit *Conf. mar.* cap. 91., ut, ad petitionem mercatorum, debe-ret et, ex eorum venia, vel, si eam negarent, ex auctoritate Concilii navalis, posset, hujus-modi contractum inire. Similis dispositio etiam in art. 38. §. 7. *Jur. Wb.* invenitur, nisi quod ibi non additum est, magistrum ad simplicem mercatorum petitionem ad fatis iis faciendum cogi (3). Antiquae patriae leges laudantur ad GROTIUM, *Inl.* III. 22. Cf. etiam LOCCENIUS *J. M.* II. 2. pag. 965. Hodie vero, cum hujus  
fo-

(1) De gravissimis poenis, quae olim in Gallia erant constitutae in magistrum, qui, sub praesidio proficisci jus-sus, illud relinqueret videatur EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* XII. 18. Vol. I. pag. 144.

(2) Quod ut fieret, *Conf. mar.* expresse jubet, cap. 283.

(3) In art. laud. ejusmodi societatem inire vocant *loten*, fortasse, quoniam forte decernebatur, quaenam navis prae-toria foret.

societatis, ad arcendum communibus impensis et operis periculum commune, nulla in lege fiat mentio, juris analogiae videtur consentaneum, ut dicamus similem esse hanc causam earum, in quibus propter alias rationes infra exponendas, a supervenientibus periculis, extraordinario remedio sibi cavet magister. Eaedem igitur cautelae, quibus opus est, ut v. c. jactus decernatur, etiam hac in causa requiruntur, et communi contributione mercatorum et exercitorum refarcitur, quod pro omnibus impensum est. Cf. *Wb. Z.* 38. §. 7. Hoc autem constat defendi non posse, si, sine expressa venia eorum quorum interest, magister navis, rite ad defensionem comparatae, quae sola recte sibi prospicere potest, societatem incat cum alia nave, quae armata non est. Nam, quod ad mercatores, habent illi sic merum damnum et, quod ad exercitores, etsi in eorum commodum stipulata sit merces, tamen damnum etiam habent morae, ita factae, et periculi, cum altero navigio communicati. Magistrum praefecerunt quidem illi, cum potestate faciendi illa omnia, quae ad navis tutelam pertineant, verum nulla ei potestas est concessa in alium usum navem adhibendi, quam ad quem destinaverunt eam exercitores; quae autem comparata est ad merces transvehendas, minime ad defendendum alia navigia instructa intelligitur, licet suae defensionis

nis ergo armata sit. Cf. *Conf. mar. cap. 92.*  
*Cod. L. 36. ff. de R. J.*

§. 2. *De portibus praeter mandatum non frequentandis, iisque, quae in statione degenti observanda sunt, item de casu, quo navis altera ab altera deprimatur.*

Suscepto itinere, id agat magister, ut recto itinere in locum destinatum perveniat. Cf. *L. 7. Cod. de navic.* Quod si sine justa causa littora devia sectatus est, habent quod querantur exercitores, si longius ita iter productum est, majoresque factae sunt impensae; imprimis autem, si sic damnum mercatoribus et vectoribus datum, fuerit resarciendum. Cf. *L. 3. Cod. de naut. foen.*; STYPM. IV. 10. N. 210. pag. 518.; KUR. ad *J. M. H.* III. 19. N. 8. pag. 724.; LOCCEN. *J. M. I.* 7. N. 3. pag. 934. Add. *Pr. Landr.* §. 1491. ad 1494. Quaenam vero justa causa sit aliam viam suscipiendi, universe explicari non potest, sed pendet plane a temporibus. Saepe metus hostium piratarumque, aliquam maris partem infestantium, justa causa est, alia via in locum destinatum pergendi; verum saepe etiam ex eo, quod navis recte satis ad defensionem sit comparata, vel periculosa etiam alia via sit, quae foret eligenda, quae mox justa nunc

maxime inepta causa est a recto itinere deflec-  
tendi. In quam rem apposite dicit CICERO *ad  
famil.* l. 9. pag. 16<sup>a</sup>. „ in navigando tempes-  
„ tati obsequi artis est, etiamsi portum tenere  
„ non queas: cum vero id possis mutata veli-  
„ ficatione assequi, stultum est, eum tenere  
„ cum periculo cursum, quem ceperis, potius  
„ quam, eo commutato, quo velis tandem per-  
„ venire.” Ex hoc principio posito ultro etiam  
ea sequitur regula, in nullos portus esse appel-  
lendum, nisi quos frequentare ex mandato vel  
tacito, vel expresso, est licitum, vel temporis  
augustis postulatum. *Wb. Z.* 53.; *J. M. H.* III.  
15.; *Ord.* 1681. art. 24. *du capit.* Ex tacito  
mandato jus est magistro omnia ea loca adeun-  
di, quae ab iis, qui eandem viam perficiunt,  
solent frequentari. Verum obtinet hac in re  
longe alia hodie ratio atque olim, cum, quo  
magis exulta fuerit navigandi ars, eo rarius  
etiam in portus sit appellendum, ut sint adeo  
qui putent, belgicum vocabulum *haven* cogna-  
tum esse cum voce *avend*, naviculariis olim  
sub vesperam continuo portum requirentibus.  
Necessitatis causae variae possunt existere, puta,  
si vel restauranda sit navis, emenda sint nova  
armamenta, deficient cibaria, ceteraque id genus  
alia. Ut autem deinceps de ejusmodi causa rite  
constet, art. 245. et 246. *Cod. merc.* statuit  
eam exponendam esse praesidi Trib. merc., Ju-  
dici

dici Pacificatori, Consuli nostro aut, eo deficiente, Magistratui loci; et petendum porro, ut iudex nautas, et, si fieri potest, etiam vectores, interroget, ut de veritate eius, quod magister retulit recte constet. Sic demum in exceptionibus, vel etiam actionibus, instrumento de hac re confecto potest uti, ita tamen ut et ceterae probationes ei et in eum non prohibeantur. Cf. etiam *Ord.* 1681. art. 6., 7. et 8. *des congés et rapp.* ibique VALIN; ROCCUS *resp. select.* 28. N. 9.; LOCCENIUS III. 10. §. 6.; *le Guidon*, cap. 8.; CLAIRAC, *Jurisd. de la mar.* ad art. 15.; EMÉRIGON, *Tr. des asf.* II. cap. 14. Vol. II. pag. 91.

Praeter hanc extraordinariam declarationem magister, etiam ex vi mandati in portum appellens, in terra nostra inspiciendas offert suas tabulas, et de tempore et loco itineris suscepti, de via, qua in portum tetendit, de periculis quae perpesus est, de maleficiis in nave admis-  
sis, et iis omnibus, quae acciderint memoranda, debet referre (1). In terra peregrina vero debet curare, ut Consul suae civitatis, cui de itinere retulit, ipsi instrumentum praebeat, quo de

(1) Legibus Russicis ad quosvis navium bellicarum Russiae Praefectos, qui obviam fiunt, de itinere referre debet Magister, art. 56.

de tempore, quo advenerit et abierit, atque de natura et conditione oneris constet. Cf. *Cod. merc.* art. 242., 243. et 244. Ut autem constet deinceps, re vera inita esse consilia, quae in tabulis sunt relata, in primo portu, in quem appellit, magister exponere debet ea, quae tabulis circa hanc rem continentur. *Cod. merc.* art. 413. Lege autem d. 14. Mart. 1819. *Bep. op. de Zeebr. en Turksch. pasf.* art. 18. fancitum est, ut, quoties magister in portum peregrinum appellat, intra triduum Consuli nostro litteras nauticas (*de Zeebrieven*) inspiciendas offerat.

In ipso portu non diutius manet, quam opus est, ne ex mora damnum patiantur exercitores, et loci legibus diligenter obtemperat, ne, vel ipse poena afficiatur, vel etiam praeterca aliquid detrimenti in exercitores redundet.

Ne autem navis ipsa damnum aliquod patiatur, vel damnum aliis navigiis datum sit resarciendum, Magistro imprimis observanda sunt haecce:

I. ut caveat in intrando portum et exeundo ex eo, ne a sua nave damnum patiatur ea, quae praecessit. Nam jure regula habetur, quae posterior venit, navem cedere ei, quae prior est. Cf. *Conf. mar.* cap. 197. et 199. Quod si alia navis portum intret, alia eum relinquat, ex communi doctorum virorum sententia potiore jure



jure utitur ea, quae advenit. Cf. EMÉRIGON, *Tr. des asf.* XII. sect. 14. ;

2. ut, non nisi in locis ad hoc designatis, navem collocet, justo intervallo a navibus, quae fixas stationes jam habent, relicto. Cf. *Ord.* 1681. art. 3. *des ports* ;

3. ut diligenter funibus et anchoris procurata navis sit, ita ut, si forte damnum detur ex eo, quod in portu altera navis in alteram immittatur, constet illud non magistri culpa accidisse. Cf. *Conf. mar.* cap. 198. 200. et 224. Huc pertinet nonnullarum legum placitum, ne qua anchora sine *anchoralis* projiciatur (*dat men boeijen op het anker hebben moet*). Cf. *Wb. Z.* art. 28. et 50. ; *J. d. O.* art. 15. ; *Placc.* 1551. art. 49. ; art. 4. *van Schep. die malk.* 1563. ; *J. M. H. X.* 4. ; *Ord.* 1681. art. 5. *des ports.*

Quod si vero, sive in portu, ubi hoc saepius accidit, sive in medio mari, duae naves in se immiscae sint et quaeratur de damno resarciendo, distinguendum est, utrum aut casus fortuitus, aut culpa magistri alterutrius navis ei locum dederit, an vero cujus culpa sit non quidem constet, sed certum tamen sit, non mero casu fortuito damnum esse datum. *Si tanta vis navi facta sit, quae temperari non potuit, nullam in dominum dandam actionem* ait ULPIANUS in l. 29. §. 3. ff. *ad leg. Aquil.*,

quod confirmatum vide *Conf. mar.* cap. 200.; et *R. Seer.* 261. 272. Sin autem alterutrius magistri culpa damnum datum sit, culpa nocet auctori, arg. *d. l.* 29. §. 2., 3. et 4. *ff. ad leg. Aquil.*; VINN. ad PECK. pag. 263. nota b. STYPM. *J. M.* IV. 19. N. 17. sqq. pag. 581.; KURICKE ad *J. M. H.* X. 4. pag. 805.; LOCCENIUS *J. M.* III. 8. N. 11. pag. 1040. et 1041.; *R. Seer.* 260., 263., 264. Quod si in se invicem ita agantur duae naves, ut dubium plane sit cujus culpa factum illud fuerit, cum tamen ad solum casum res referri non possit, damnum inter duas naves solet dividi, ab utraque pro parte praestandum. *J. d'O.* art. 14.; *Wb. Z.* art. 27., 71.; *J. M. H.* art. 1., 2. et 3.; *Placc.* 1551. art. 46.; art. 1. *van Schep. die malk.* 1563.; NEOSIAD. *Dec.* 48. et 49.; COREN, *Obs.* 40. et 41.; *R. Seer.* 272 (1). Causa est, auctore GROTIUS *de J. B. ac P.* II. 17. §. 21., in cujus sententiam pedes eunt STYPMANNUS, LOCCENIUS II. cc. alii, *culpa probandae difficultas*; unde dicitur illud vulgo *Judicio effici rusticorum.*

Comprobata haec doctrina est art. 407. *Cod. merc.*, in quo attendenda maxime sunt verba

&

(1) Notandum autem, hoc art. legis Ruslicae mentionem tantum fieri duarum navium *in medio mare* in se irruentium. In portu scilicet, etiam si nulla magistri culpa est, pejor est conditio navis irruentis art. 265. et 266.

à frais communs et par égale portion, quae dubitare non sinunt, quin, nulla ratione habita majoris minorisve valoris singularum navium, simpliciter in duas partes aequales dividenda aestimatio fit damni, navibus dati, ut quaeque navis unam ferat (1). Quod autem dicitur in d. art., illud damnum a navibus praestari, fricte est intelligendum, ita ut nullo modo in contributionem veniant merces. Sive enim casu fortuito, sive culpa magistri damnum datum fit, neutro casu earum contributio juris analogia potest exigi (2). Quapropter merito hoc nomine jam Judicia Olerontica reprehendit CLARACUS ad art. 14. N. 8. (eundem cum art. 27. *Jur. Wisb.*), licet in patria, teste eodem et VERWERO ad art. I. *van Schep. die malk. 1563.*, etiam merces contributioni erant obnoxiae. Qui autem in commodum suae navis actionem habet instituendam, intra 24. horas de eo, quod factum est, debet queri (*faire réclamation*), et deinceps intra mensem ipsam actionem instituere.

Alias,

(1) Borussiae jure et legibus Danicis hoc obtinet, ut, siue ejus culpa sit probari nequeat, siue mero casu naves in se irruisse constet, damnum datum communicetur, si vero alterutrius tantum magistri culpa sit, hic omne damnum refarcire teneatur. *J. D. IV. 3. art. 3., 4. et 5.; Pr. Landr. II. 8. §. 1911. ad §. 1927.*

(2) Idem placuerat *J. M. H. X. art. 4.*

Alias, sublata actione, ab eo quod sua interfit repeterent exercitores. Cf. *C. de C.* art. 436. Spectat autem nullo modo haec damni restitutio detrimentum, quod mercibus datum est, quemadmodum nec salvas merces conferre modo dicebamus. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1928. Quod igitur occasione collisionis navium mercibus acciderit mali, casu fortuito accidisse videtur, donec culpam magistri ostendant mercatores.

Potest autem fieri aliquando, imprimis dum in portu degit navis, ut, tempestate exorta et summa urgente necessitate, aliarum navium anchorae praecedendae sint. Non dubium est, quin facere illud possit magister, modo deinceps damnum hinc navi illi datum resarciat. Cf. *RUFEND. J. N. et G.* II. 6. 8.; *L.* 29. §. 3. *f. ad leg. Aquil.*; *J. d'O.* 15.; *Wb. Z.* 28., art. 5. *van Schep. die malk.* 1563. Quoties autem illud ad communem navis merciumque salutem expediendam factum est, secundum regulas infra. Sect. 3. §. 2. exponendas, hae impensae communi navis merciumque contributione sunt solvendae. Ceterum operae pretium est dictis hanc observationem reddere, ne naufragio quidem ejus munus evanescere, licet forte navis, cui est praepositus, amplius in rerum natura non sit. Itaque fractae navis tabulas, quoties posfit debet colligere et secundum ea, quae Sect. 3. §. 3. locum suum invenient, curare

rare, ut legitima iudicis declaratione vi majore obtinuisse naufragium constet, ut tuti deinceps exercitores sint contra mercatorum actiones.

§. 3. *De tabulis accepti et impensi et notandis decretis ceterisque omnibus, quae deinceps notata fuisse expedit; de auctoritate consilii navalis.*

Constituebatur olim in navibus a magistro tabellarius, qui in tabulas referret non tantum, si quid expensum foret, vel acceptum, verum etiam notaret praeterea decreta, quae circa jactum aliasque res similes, ad communem utilitatem pertinentes, versarentur. Vid. *Conf. mar.* cap. 55., 97., 284. Quae ab hujusmodi tabellario conscripta erant, praesumptione juris vera habebantur, modo ante munus susceptum jusjurandum praestitisset. Quod si factum non fuisset, illa praesumptio locum non habebat, antequam quae tabulis continebantur, jurejurando essent confirmata. In eum vero, qui praeter fidem has tabulas conscripisset convinceretur, gravissima statuta erat poena. Cf. *ll. cit.* Hodie fere ab ipso magistro hae tabulae conscribuntur, de quarum fide, quo melius constet, iudex tribunalis mercatorii, vel magistratus loci primis sui nominis literis insignire debent singulas chartas (*coter et parapher*), quod olim ab uno eorum,

eorum, quorum imprimis intererat, expediebatur. Cf. *Cod. de Comm.* art. 224. coll. *Ord.* 1681. art. 10. et 11. *du Capitaine*. Etiam illae tabulae non expensa et accepta tantum, verum imprimis etiam continent decreta, et univēse ea omnia, quae ad munus magistri pertinent, et de quibus in rationibus reddendis; aut instituendis petitionibus, deinceps possit quaeri. d. art. 224. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1506. ad 1510. Multa huc pertinent: jussum Principis navem ad certum locum accedere prohibentis; calamitas in nave existens; vis hostium vel paratarum, alia; imprimis vero quidquid extraordinem a magistro, sententia nautarum rogata, decretum est. *C. de C.* art. 412.

Scilicet in omnibus iis rebus, quae nudae administrationis fines excedunt, voluerunt a *Consulatu inde maris* omnes leges nauticae, ut jure demum ageret magister, si idem, quod ille, faciendum etiam censuissent navicularii, ad hoc in consilium vocati, nisi in nave adescent mercatores, domini oneris, quorum consensus in iis, quae ad eorum res pertinent; sufficiebat. Hujus vero Concilii major olim atque hodie erat auctoritas. Non enim tantum, rogata ejus sententia, faciendum erat, quod ei placuerat, nisi omne periculum in se suscipere veller magister; verum praeterea, si ultro aliquid fieri vellent nautae, contra eorum sententiam agere non

non poterat. Deinde saepe etiam de iis, quae ad solius magistri officium pertinent, puta de definiendo, utrum tempestas apta sit ad iter suscipiendum, statuebat nautarum consilium. Cf. *Conf. mar.* cap. 97. 109. 281.; *J. d'Ol.* art. 2.; *Wb. Z.* 14.; art. 4. et 11. *van Schipbr.* 1563. Hodie vero haec secus sunt. Ordinaria navis, in locum destinatum deducendae, cura ad solum magistrum pertinet, et tantum in rebus, quum temporis angustiis aliquid extra ordinem facere coactus est, quum fieri potest, praecipuorum nautarum sententiam debet explorare, quo melius deinceps constet de eo, utrum necessario illud, quod fecit, faciendum fuerit, nec ne. *C. de C.* art. 410. Ultro autem sententiam aliquam proferentium rationem habere non cogitur. Ceterum similiter atque olim etiam hoc hodie obtinet, ut, si mercatores nautaeque de eo, quod faciendum sit, dissentiant, horum tamen sententiam sequi possit magister. Cf. *Wb. Z.* 20. et 138.; art. 4. *van Schipbr.* 1563.; *C. de C.* 410. Neque mirum. Nam rectius illi quam ipsi mercium domini, quid ad eas servandas conducatur, quidque temporis conditio postulet, intelligere sunt censendi. Cf. *POTHIER, Contr. mar.* N. 110. Animadvertendum est jure *Conf. mar.* et patrio jure omnes nautas in consilium vocari solitos fuisse, hodierno autem jure praecipuorum tantum nautarum

ex-

explorandam esse sententiam. Cf. *Conf. mar.* cap. 97., 109. et 120.; *Wb. Z.* art. 14.; *J. d'O.* 2. ubi CLAIRAC; art. 4. et 11. *van Schipbr.* 1563.; *Cod. de Comm.* art. 410., cum quo convenit *Ord. 1681.* art. 1. *du Jet.* Quosnam vero praecipuos navicularios velit habere, arbitrio magistri relictum est, sed non videtur tantum de his, qui praecipuis muneribus funguntur, cogitandum. Sic art. 25. *du Capit.* in lege a. 1681. jubebantur magistri in consilium vocare *le pilote, contremaitre et autres, qu'ils jugeront experts au fait de la navigation* (1). Est autem lis inter Viros doctos an, ipsis nautis dissentientibus, cogatur praecise ad faciendum, quod plerisque placuit; quod enim affirmarunt VALIN ad *Ord. 1681.* art. 15. *du Capit.* et KURICKE ad *J. M. H.* III. 19. N. 4. pag. 723., negavit imprimis EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* XII. 4. §. 5. Concedimus omnino ex plenitudine suae potestatis, ex eo, quod navi praefectus est, posse magistrum jubere ea, quae contraria sunt consilii nautici sententiae, neque posse ipsi resistere nautas etiam universos. Sed minime sequitur hinc, eum deinceps tutum fore et liberari solo praetextu, nautas legitime a se esse

(1) Lege Borusforum ex expressis legis verbis trium summorum in nave praefectorum sententia exploranda est. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1464. et 1465.



esse consultos. Nam profecto vanum esset legis placitum, explorandam esse praecipuorum nautarum sententiam, si nihil ea efficere censeretur ad probandam rei gestae utilitatem. Itaque, qui plurimorum sententiae obsecutus est, praesumptione gaudet, utile fuisse quod egit, sed qui contra eam aliquid fecit, sua vice se prudenter et utiliter illud egisse probare debet. Cf. MERLIN, *Rép.* in voce *Capit. de vaisf. march.* et vid. omnino, ubi hoc in nostram sententiam definitum est *Pr. Landr.* II. 8. §. 1467.

§. 4. *De casu, quo alium sibi substituerit, et quid faciendum sit, quum diem in itinere magister obeat.*

Contractu cum exercitoribus inito, suas ipse operas, in ducenda et administranda nave, locavit magister. Sequitur igitur hinc, eum pactis conventis non recte stare, si alium sibi substituet. Quidquid damni igitur intempestiva hujusmodi substitutione patiantur illi, jure illud a magistro repetunt. Atque sic eadem prorsus ratione atque exercitores ex factis ipsius magistri obligantur, rursus ille tenetur ex iis, quae a substituto gesta sunt. EMÉRIGON, *Tr. des Ass.* VII. 3. Vol. I. pag. 187. Sed nullo modo hoc impedit, quominus ex alterius hujus magistri

tri gestis etiam ipsi exercitores teneantur. Nam ipsa haec submissio alterius, in suum locum, ad ea facta magistri referenda est, quae, cum ad navis curam et itineris suscepti perfectionem pertinent, necessario exercitores obligant. *C. de C. art. 216.* Nec refert, ut recte monuit *ULPIANUS* in *L. 1. §. 5. ff. de exerc. act.*, utrum universe prohibitus sit aliquem sibi substituere, vel etiam illum ipsum elegerit, quem magistrum fieri nominatim vetuerunt. Causa facile intelligitur haec esse, quod tertii, qui cum Promagistro illo egerunt, opportunitatem non habent accurate in potestatem, quae ipsi concessa est, inquirendi. Jure illi eum pro nave recte agere putant, quem ejus ductorem et praefectum vident. Cf. *VINIUS* ad *PECKIUM*, pag. 83.; *STYPM. J. M. IV. 15. N. 118. ad 127. pag. 542.*; *KURICKE, Q. III. XV. pag. 869.*; *ROCCUS, de Navib. N. 5.* Ceterum magister, qui sic damnum, a substituto datum, exercitoribus praestitit, ab eo jure illud reperit. Cf. *Conf. mar. cap. 294.* Sunt autem causae nonnullae, in quibus magister jure in suum locum aliquem substituisse videtur, et in quibus igitur ipse non tenetur, nisi quatenus ineptum elegit, cum copia esset magis idoneum inveniendi. Huc pertinet, si publice retentus fuerit magister, si graviore morbo impediatur, vel si qua alia rei ad exercitores pertinentis procuratio, eum in

ter-

terra peregrina diutius manere cogat, quam ip-  
 sius expeditionis ratio finit. Cf. L. 10. §. 1. ff.  
*de leg, Rhod.*; *Conf. mar.* cap. 191. 215. et  
 219. Nam quomodo, si navis vitium fecerit,  
 oneris transferendi curam in alios transmittat  
 seq. sect. §. 2. videbimus. Quae autem pro-  
 prium magistri commodum spectat, numquam  
 justa causa est promagistrum eligendi. Atque  
 ita v. c. abrogata est hodie, quae in *Conf. mar.*  
 cap. 191. coll. 215. indicatur alium praeficiendi  
 causa, si uxor ducenda sit. Causa discriminis  
 inter *Conf. mar.* placita et leges nostras in  
 promptu est, quod olim ex pactis de futuris  
 nuptiis uxorem quis ducere cogebatur, quod  
 hodie secus est. Ipsa vero ratio utriusque juris  
 eadem est, magistrum numquam alium jure navi  
 praeficere, nisi ipse ductor esse prohibeatur.  
 Vid. *Conf. mar.* cap. 219. Sic hodie similiter  
 nullius momenti haberetur praetextus magistri,  
 piam peregrinationem (*eene pelgrimaadje*), sibi  
 esse suscipiendam affirmantis, cujus etiam men-  
 tio est in *Conf. mar.* cap. 191. coll. 215.  
 Quod si ipsi exercitores magistro aliquem sub-  
 stituerunt; vel ex eorum voluntate a magistro  
 quis navi praefectus est, quin soli exercitores,  
 non vero primus magister teneatur, nemo dubi-  
 tat; sed quid, si non concessa magistro fuerit  
 facultas alium sibi substituendi, sed hic nihilo-  
 minus illud fecerit, sciens sed tacentibus

exercitoribus? Respondet JULIANUS, probante ULPIANO, ipsum exercitorem tum illum imposuisse videri. L. 1. §. 5. ff. de exercit. ac-tione. coll. GOTHOFRED. ad leg. 18. ff. mandati. Ceterum quo casu aliquem substituere potuit, tantum ex eo, quod ineptum elegit, tenetur. Cf. Pr. Landr. II. 8. §. 1471.

Aliquando autem ad tutandam navem et merces exorto bello magister summa prudentia, quo hostes circumveniantur, navis autem et merces salvae sint, alterius gentis civem navi suae nomine potest praeficere, dum ipse gubernatoris, scribae, pilotaevae partibus fungens, hostes lateat. Suppositii illi magistri, a JACOB-SENSO II. I. pag. 133. vocantur, *Flaggcaptaine*, ex quorum gestis eadem profus ratione, qua modo de Promagistris dicebamus, exercitores tenentur.

Ceterum si magister medio itinere moriatur, neque data sit copia exercitores adeundi, nautarum suffragiis constituendum esse novum magistrum ait ROCCUS, de *Nav. et naut.* not. 4. Sed nescio, an dicendum sit potius *ipso jure*, qui proximus gradu est, navis esse ductorem secundum ea, quae olim in Gallia decreto Regis 21. *mens. Oct. 1727.* sancita fuerunt (1). Sic numquam alienae curae exerci-

(1) Decreti verba refert EMÉRIGON, *Tr. des Ass.* VI. 3.

citorum res committuntur, cum nemo contra eorum voluntatem navi operas praestat. Sic non pendent a malitia nautarum, atque is navi praeficitur, quem esse aptissimum maxime est probabile. Non opus autem est, ut hic notemus, illud jus praelationis, quo ex *Conf. mar.* cap. 261. gaudebant defuncti cognati, artis navigandae non imperiti, hodie non obtinere, cum nulla lege illud privilegium confirmatum sit.

## SECTIO ALTERA.

### DE OFFICIIS MAGISTRI CIRCA ONUS.

#### §. I. *De itinere justo tempore suscipiendo.*

Ne serius quam oportet in locum destinatum perferatur onus, prima cura magistri, quae mercatorem spectat haec est, ut justo tempore iter suscipiat. Atque si quidem in contractu illud definitum est, si convenerit v. c., ut intra 14. dies post oneratam navem iter foret inchoandum, pactis standum est, nisi vis major, quominus id fiat, prohibeat, aut a Iudice ex justa causa dilatio impetrata sit. Cf. *POTHIER, Contr. mar.* N. 29.; *VALIN*, loco ibi laud.

Neque debent Iudices in concedendis hujus-

modi dilationibus nimis esse difficiles, quoniam saepius bidui vel tridui expectatio mercatoribus non valde nocet et plurimum prodest magistro, cui quaedam adhuc navi imponenda supersunt. Sed vix apud nostrates locus est hujusmodi petitionis a iudice, quum mutua mercatorum benevolentia efficiat, ut non valde difficiles sint in ea ultro concedenda. Quod si pactis ea de re statutum nihil est, *J. M. H. V. 4.* duos tresve dies post onus impositum magistro concedit. Nostrae vero leges tacent. Quapropter, exortante, a iudice ex aequo et bono tempus videtur definiendum. Cf. *L. 2. §. 8. ff. si quis caution.* Semper autem debet expectare magister, donec ea sit tempestas, ut tuto possit navigare. Cf. *Pr. Landr. II. 8. §. 1675. et 1676.* Nam profecto, quamvis quam plurimi mercatorum interfit, ut brevi iter perficiatur, vento adverso et non prospera tempestate iter suscipi, aequè mercatoribus nocet, atque exercitoribus. Hinc secundum *Jus Wisb. art. 14. et leg. Oler. art. 2.* non nisi suo periculo iter potest incipere magister, si sint, qui ventum non putent secundum, neque major nautarum pars iter inchoandum probaverit. Etiam jure patrio sententia nautarum olim debebat rogari art. *II. van Schipbr. 1563.* Et hodieque praefectorum navis explorari sententiam jubet *Ord. de Bilbao 24., 21.,* teste JACOBSEN II. I. pag. 134  
Jure

Jure nostro vero res arbitrio magistri relicta est, qui, ut diximus, cogitur tantum, quam primum ventus idoneus fit, solvere et dum solvat navem praefens in ea adesse.

§. 2. *De onere in locum destinatum transvehendo.*

Itinere praeter necessitatem producto, jure queri mercatores, onus ferius, quam oportebat, in locum destinatum esse perductum, supra sect. 1. §. 2. est observatum, ibique simul, quae potissimum justae causae videantur iter commutandi, est indicatum. Jam vero onus imprimis spectat cura, ut nave utatur, de qua convenit, neque, nisi cogente necessitate, aliam ad merces transvehendum adhibeat. Constitutum illud est *L. 10. §. 1. ff. de L. Rh. L. 13. §. 1. ff. locati* et accuratius adhuc *Conf. mar. cap. 87. N. 4. et 7. et cap. 89.; Placc. 1551. art. 50.; art. 11. van Schipp. en Koopt. 1563.; Pr. Landr. II. 8. §. 1657. et 1658.* Neque jure nostro dubium illud est, cum de certa nave propterea actum est, ut ipse dispiceret mercator, an magis minusve sit tutus; cujus rei cogitatio summam efficaciam habere potest in definienda nauti summa non tantum, verum universe in toto ineundo contractu. Ab omni autem praestatione absolvitur magister in

d. l. 10. §. 1. ff. de lege Rh., qui praeter necessitatem alia nave usus est, si sine dolo et culpa utraque, scilicet et haec, qua usus est, et illa, qua se iter facturum promiserat, perierunt. Profecto sic, damnum se passum esse, mercator dicere non potest, cum novae navi nulla deterior fors acciderit, quam quae priori contigit. Cum vero vis major, aut metus justus prohibet, quominus, de qua convenit nave utatur, minime resolutus intelligitur contractus. Nam, uti supra quoque observatum est, principalis conventio circa res transferendas versatur, et quicumque ad eam perficiendam conferat, efficere debet magister, etiam, si prohibeatur, non servatis omnibus, quae ei accesserunt, legibus. Aut fallor igitur, aut errat vir summus POTHIER, *Contr. mar.* N. 68. (1), cum magistrum minime cogi affirmat ad novam navem conducendam, si vetere amplius uti non potest, atque sic demum ad illud faciendum compelli, si integrum naulum velit habere. Distinctionem illam non admittit art. 11. *du fret.* 1681. et, quod ait, regulis locationis-conductionis illud convenire, verum non est. Nam non conducta simpliciter navis est, qua vehan-

tur

(1) Quae POTHIERII eadem sententia erat tum VALINI, quem vide ad art. 391. *Cod. merc.*, tum VINNII ad PECKIUM, pag. 295.



tur merces, sed imprimis etiam conductae sunt operae in transferendis mercibus praestandae, vel potius mercium transvectio locata conducta est ea lege, ut certa quaedam navis ad eum usum adhiberetur. Post art. 391. *Cod. merc.* de hac sententia ne dubitari quidem potest, quippe quo expresse sancitum est, magistro omnem curam esse adhibendam, ut aliam navem sibi compareret, si sua amplius uti non possit. Cf. etiam art. 296. ibique LOCRÉ. — In locum destinationis merces esse vehendas facile confirmatum intelligitur nulla non lege nautica. Sed in eo a vetere *Consulatu maris* differt jus hodiernum, quod, praepedito itinere in locum destinatum, secundum illas leges, tum demum in alium locum transferri potuerint merces, si facultas statuendi de mercibus quaedam amplior, quam quae ex nudo navis magisterio ipsi competit, ei est commissa (1) et consenserunt nautae; jure nostro vero tacitum habere mandatum videtur magister, eas perferendi in vicinum aliquem portum ad eandem regionem pertinentem. Cf. *Cons. mar.* cap. 209.; *Cod. merc.* art. 279. Ad quem locum nescio, an minus accurate observat SANFOURCHE LAPORTE, necessario adeundum esse portum proximum, etiamsi prop-

(1) Id est si magister simul mercium sit institor, quem vocamus *Supercarga*.

propter minora pericula aliasve causas, magis expedire videatur, ut in minus vicinum locum appellat. Videtur enim propter hanc ipsam causam Legislator in laud. art. dixisse *dans un des ports voisins*, cum alias rectius dixisset *dans le port le plus voisin*.

§. 3. *De mercium cura.*

Circumscribi potest et comminui jus et officium magistri in curandis mercibus, imprimis particulari institore a mercatoribus iis praeposito (*Supercarga, Vragtman*). Nam, quod ad magistrum attinet, eadem res est, atque si ipse mercator, quemadmodum apud veteres obtinebat, praesens in nave adesset. Quae vero ad proprie ita dictum magistri officium, ad procuranda omnia ea, quae iter ipsum spectant, attinent, nullo modo sic minus ad magistrum pertinere intelliguntur. Spectat adeo institoris praepositio imprimis curam deinceps, ubi in locum destinationis ventum est, recte vendendi bona, aut statuendi in medio itinere, quid faciendum sit, ad tuendum merces. Quum igitur v. c. *J. M., H. III. 19.* magistro committatur cura, opera nautarum ventilandi frumenta, dubium non est, quin, institore mercibus praeposito, non possit hujus generis quidquam agere, nisi ex illius consensu. Exceptio est, si,

fi, ex non ventilato frumento, navi vel ceteris mercibus, institoris illius curae forte non commissis, damnum aliquod metuatur, ne oriatur v. c. incendium. Tunc enim ex vi muneris magister, praefectus navis, et ceterarum mercium legitimus institor, ventilationem potest jubere. Est autem illa mercium, ad transvehendum susceptarum, cura magistro commissa jure scripto. Vid. *Conf. mar.* 59. 61. ad 67. 73. 234.; *Wb. Z.* 45. 46. 47.; *Placc.* 1551. art. 42. et 43.; art. 8. *van Schipp. en Koopl.* 1563.; art. 1. *van Schipbr.* 1563.; *Guidon* V. art. 5. et 6.; *Ord.* 1681. art. 9. *du Capit.*; *C. de C.* art. 222.; *ſ. Dan.* IV. 2. art. 11.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1707. 1708. 1709.; adeo ut, quoties opus est, nautas ad operas extra ordinem praeflandas possit cogere, *dd. ll.*, et solum casum atque vim majorem non praestet. Add. *Placc.* 1551. art. 44.; art. 9. *van Schipp. en Koopl.* 1563.; *C. de C.* art. 230. et VALIN ad art. 222. —

Cum autem observavimus non navem tantum, verum etiam operas suas in onere transferendo locasse magistrum, vix ac ne vix quidem eget demonstratione, neque hodie statim post naufragium solvi magistri mercium procurandarum officium, licet non totidem verbis in *Codice mercaturae* iteratum est juris Belgici placitum, etiam post naufragium curandas esse et custodien-

diendas merces. Cf. *Wb. Z.* 16. et 37.; art. 3. *van Schipbr.* 1563. Est igitur fracta nave magistri officium merces quascumque potest servandi. Est ipsi jus, extraordinaria mercede praestita, cogendi ad operas sibi praestandas nautas. Stipendium autem illud (*bergloon*), quantum solum onus, neque simul etiam navis tabulas colligendas, spectat, a solis etiam mercatoribus solvendum est. *Wb. Z.* art. 15.; *J. d'O.* art. 2.; art. 12. *van Schipbr.* 1563.; *C. de C.* 261. et 403. Quid si, cum in periculo versetur ipse magister, aut neminem, qui ipsi in rebus servandis velit opem ferre, invenire potuit, summam pro eo auxilio promiserit mercedem? Num valebit istiusmodi promissio, an vero tanquam ab invito plane expressa irrita est habenda? Distinguendum est, nisi fallor, ceteros extraneos inter et eos, qui ratione officii ad res servandas sunt obligati, quales sunt, tum, qui publica auctoritate ad hujusmodi auxilia ferenda littoribus praepositi sunt, tum etiam nautae. Rationem optime hanc reddit *CLAIRACUS* ad *J. d'O.* art. 4. N. 7.: *veu notamment, que telles gens sont naturellement et civilement obligez d'assister promptement et sans marchander ceux, qui sont en danger.* Extranei vero, cum non cogi possint ad opem ferendam, nulla injuria promissam mercedem, quantumvis magnam, exigere possunt, nisi publica lege illud sit pro-

prohibitum. Cf. etiam *J. d'O.* 29.; *Guidon* V. 31. Ceterum, ne etiam propter minimam causam actionem damni dati instituerent mercatores, sancitum est art. 408., ut propter avariam particularem non ageretur, nisi centesimam rei laesae aestimationem excederet. — Est autem naufragiorum et omnis damni, quod navi accidat, duplex fere genus, alterum scilicet si reparari navis non amplius possit, alterum, ubi optime possit restaurari. Priori causae jam supra occurrimus §. 2. ibique probavimus, magistrum, qui nave, de qua convenit, amplius uti non potest, novam esse conducendam. Quod si fieri nequit, necessario magistrum inter et mercatores resolvitur contractus, et jure nostro pro rata tantum itineris parte naulum praestatur. *C. de C.* art. 296. Sin vero absque justa causa noluerint mercatores, merces alia nave transvehi, possunt quidem de rebus suis pro lubitu statuere, sed integro naulo soluto, cum per magistrum non steterit, quominus pacta sua impleret. Nam illud ipsum, quod, ubi navis alia comparari non potest, nauli in universum iter constituti partem tantum accipit, temperamentum est aequitatis, in speciali causa a stricti juris regulis deflectentis. Cf. *L. 38. ff. locati.* Cum vero navis adhuc reparari potest, magister statim eam procurare debet reparationem, et mercatores, integrum tamen naulum debent praestare,

et-

etfi non expectent, donec ea absoluta fit d. art. 296.

Duobus autem, ut videtur, modis fieri potest, ut navis reparari non possit, quorum prior navis conditionem, quod ad exercitores, alter vero, quod ad mercatores spectat. Nempe

1. casus existere potest, ut tignum, quo opus est, in eo loco non inveniatur, vel nimis magnae sint impensae, v. c. pro quibus nova navis possit aedificari;

2. ut, si diutius expectetur, multum fiant merces deteriores aut pereant plane, vel tempestas navigationi apta intereat. Itaque his distinctionibus aequitatis, confirmatis quoque *Jure Borusf.* II. 8. §. 1703. et 1706., interpretandus videtur d. art. 296., abrogata procul dubio, quae magis adhuc Magistro favit, antiqua Juris ratione, juxta quam restauratio navis non exigebatur, nisi ex nautarum sententia satis cito fieri posset. *J. d'O.* 4.; *Wb. Z.* 16. et 37.; art. 3. *van Schipbr.* 1563.; *KURICKE* ad *J. M. H.* IV. 29. pag. 751. Ceterum apud Borusfos, sive restauretur navis sive non, nauli semper rata tantum pars a mercatore est solvenda; cum hujus quoque impensis novae navis conducendae solvitur pretium. *Lib. II.* 8. §. 1701. ad 1705. *Lege Russica* Magistri arbitrio relictum est, utrum velit navem reparare an aliam conducere modico pretio, cujus duas partes

res tertias ipse solvat, unam vero praeter nau-  
lum in rationes mercatorum referat expensam,  
art. 256.

### SECTIONO TERTIA.

DE HIS, QUAE AD COMMUNEM NAVIS SIMUL  
ATQUE ONERIS CURAM PERTINENT.

§. I. *De eo, quod facere debet magister,  
tempestate exorta, hostibus piratisve su-  
pervenientibus, aliave urgente ne-  
cessitate.*

Quae huc usque diximus ad ordinarium ma-  
gistri officium fere pertinent, cum placido ma-  
ri ventus secundus facilem reddit velificatio-  
nem. De itinere variis casibus, qui communica-  
tionem aliquam inter navem mercesque inducunt,  
perturbato, jam hoc et sqq. Paragr. est dicen-  
dum. Difficultas maxime solemnitas existit, si  
tempesta oriatur, navi damnum minitans, quod  
ordinariis remediis, quae navigandi arte indican-  
tur, velorum contractione ceterisque similibus,  
non vitari posse videtur. Jam ab antiquissimis inde  
temporibus edocti sunt homines, jactis mercibus,  
proscissis malis, immisa nave in littus, saepe  
gravius aliquod periculum vitari, leviori damno  
dato. Verum cum sic tamen, vel navi, vel oneri  
cer-

certum detur detrimentum, ut incertum, sed quod utrique minuitur, arceatur, atque foret injustum proinde, ut alteruter solus jacturam faceret, remedii loco introductum hoc est, ut, modo rite confiterit necessario ad extraordinarium remedium fuisse confugiendum, communicatum intelligatur omne periculum, adeo ut, propter illud, quod nonnulli ad salutem communem damnum passi sunt, ceteri in tributum veniant. Ut de urgente necessitate constaret, jam olim nautarum consensum postularunt, hac tamen ratione, ut, quoties ita praesens fuerit periculum, ut vix agendi, nullo vero modo deliberandi data fuerit opportunitas, etiam alia ratione necessitatem adhibiti extraordinarii remedii probare liceret.

An apud Romanos consulendi fuerint, qui nave vehebantur, ex lege 2. §. 1. ff. de lege Rhodia, possit alicui oriri dubitatio, cum quasi sibi opponi videatur casus, quo navis ex voluntate vectorum et quo propter aliquem metum facta sit deterior. Ait enim d. l. PAULUS ICIUS: *si voluntate vectorum vel propter aliquem metum detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet.* Quod si igitur metus adsit, inquirunt, voluntas vectorum exploranda non est. Sed cum NOODTIO ad hunc tit. vers. *aliquid attuli* observandum est, illud *vel* saepius ex usu illorum temporum, sensu minime disjunctivo  
tum



tum apud alios scriptores, tum in ipsis etiam Pandectis occurrere. Nisi, *ipsis vectoribus arborem eruentibus*, contributionem non obtinere adfirmat idem PAULUS *Sent.* II. 7. 3. (1).

Accuratius haec res recentiore jure definita est et sancitum fere est, ut regulariter magister neque jactum decerneret, neque arborem caederet, anchorasve praecideret, neque navem in litus immitteret (2), quarum omnium rerum par est ratio, nisi consensum praebuisset major pars nautarum, vel, quod hodie magis obtinet, praecipuorum eorum nautarum, qui in consilio adhibendi sunt. Cf. *Cons. mar.* 97. 109.; *Wb. Z.* 38.; art. 4. *van Schipbr.* 1563.; *Ord.* 1681.; art. 1. *du jet.* C. de C. art. 410.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1797. Quod si ipsi mercatores, vel eorum institor, rei gerundae praesentes consensum praebuerint, deliberatione opus non esse statuunt pleraeque leges. Cf. *Cons. mar.* 97. 281. N. 2.; *Wb. Z.* 20. et 38.; *J. d'O.* 8.; art. 4. *van Schipbr.* 1563. Hodie vero haec secus esse mihi facile persuadeo et vix dubito, quin secundum art. 410. *Cod. merc.* non

(1) Consultationis etiam mentio est in cap. 9. *Jur. Rhod. excerpt.*

(2) Dicebant nostrates *werpen, kerven, strangen*, Galli; *jetter les marchandises, rompre, couper les mâts, abandonner les ancres, faire échouer le navire.*

non sufficiat magistro, qui adhibiti extraordinarii remedii necessitatem debet probare, si consensus, quotquot merces in navem imposuerint, mercatorum exhibeat, nisi insuper consultos esse praecipuos nautas, vel consuli eos non potuisse ostendat. Neque sunt tantum illius art. verba, quae sententiam explorandam jubent, tum eorum, quorum onus est, tum etiam praecipuorum nautarum, quae favent huic sententiae; sed confirmatur ea praeterea, universa juris nautici analogia. Scilicet, quod ad inslitores attinet, inquirendum esset, an eos eodem omnino loco, atque dominos mercium habere possit magister. Verum etsi hoc concedatur, quum constet magistro sic demum remediis extraordinariis uti licere, cum necessario ea adhibenda fuisse recte possit probare, quomodo quaeso justam ejus rei exercitoribus probationem adferre potest, cum tantum ii consenserint, quos minus aptos esse ad rem judicandam legislator pronuntiavit d. art. 410. extr.? Abest autem multum, ut dicere possis, sic nonnumquam, in causa jactus v. c., mercatoribus consentientibus, eos omnes consensisse, quos oporteret. Nam licet illi ita queri non possint, habent tamen quod querantur exercitores, quorum parum interest, utrum, caesa arbore, aut in litus immissa nave, damnum in re sua patiantur, an propter damnum mercibus datum debeant conferre.

Statuitur autem sic, quid faciendum sit, id est quale remedium tutissime et minimo damno videatur adhibendum. Quin fieri potest, ut, cum jactus ad servandam navem non suffecerit, deinceps arbor caedatur et, cum neque sic vitae discrimen effugi posse videatur, post haec omnia navis in littus immittatur. Vid. *Conf. mar.* cap. 192.; *Wb. Z.* 21. et 39.; art. 4. et 6. *van Schipbr.* 1563. *Add. Act. Apost.* cap. 27. et *JUVEN. Sat.* 12. Quod si plurimis jactus placuit, res vilissimi pretii et maximi ponderis projici debent, hac lege, ut primo instrumenta navis, quae minus necessaria sunt, et deinde merces intra superiora tabulata depositae projiciantur. *C. de C.* 411. Antiquo libello, *Guidon de la mer* cap. 5. art. 24., primo ejicienda dicuntur, tum funalia, quaeque alia sunt instrumenta minus necessaria, veluti tormenta bellica, cetera, tum etiam arcae nautarum; deinde vero merces, quae superiori tabulato proxime subsunt; denique, si ad inferius positas deveniendum sit, imprimis *oleum*, si quid in nave sit. Hujus enim egregia vis esse existimabatur ad placandum sedandumque mare agitatam. Vid. *CLAIRAC* ad loc. cit. Hic vero auctor ad *ſ. d'O.* art. 8. N. 5., 10. et 11. privilegio gaudere ait, tum magistrum, tum ceteros etiam nautas, ex quo res suas demum post ceterarum ejectionem mari immittere cogantur, addita ra-

tione, quia, ceteris paribus, quisque se et sua plus diligere debet, quam alium et aliena. Nostro autem jure privilegium illud non memoratur, adeoque ex regula vilissimas res esse projiciendas, injuria suas, fortasse viliores, a communi clade exciperet magister. Ceterum ipsa electio, quid ex definitis rebus projiciendum sit, eadem ratione, explorata praecipuorum nautarum sententia, a magistro perficitur, cum olim ad eum solum pertineret, addita tantum in *Conf. mar.* hac lege, ut nihil mari immittere posset, antequam mercatorum aliquis unam aliquam rem projecisset. Cf. *C. de C.* art. 411. coll. *Conf. mar.* 93., 97., 281. (1). Cujus rei nisi fallor haec potissimum ratio fuerit, ut rectius de pleno mercatoris consensu constaret. Initi autem consilii ex eodem Jure *Consulatus* statim, aut quam primum fieri possit, tabulas conficit tabellarius, cap. 97. et 109. et testimonio, quid placuerit, sic demum probatur, cum tabulae prorsus confici non potuerunt d. cap. 119. Lege Gallorum nautica a. 1681. art. 4. *du jet.* eadem cura tabellario committitur, qui rem gestam in tabulas navales refert, ab iis, qui sen-

(1) Idem hoc placitum invenitur in *Jur. Rhod. excerpt.* 38., quin hodie quoque in lege Russica 237., ubi contra, si caedenda est arbor, magister primus cedere jubetur. *Adel. KURICKE, J. M. H. VIII. 1. pag. 771.*

sententiam ea de re exposuerunt, subscribendas, in quibus tabulis, quantum fieri potuerit, ratio fuerit habita oportebat, rerum jactarum aut jactu corruptarum. Jure hodierno vero, quam primum opportunitatem nactus sit, ipse magister deliberationem in scripturam redigit, qua explicantur causae jactus, res projectae, jactuque deteriores, addita subsignatione eorum, qui consilio adfuerunt, vel expositione causae, cur ea non sit adposita. Atque hoc quidem instrumentum describitur in ipsis tabulis navalibus. *C. de C. art. 412. (1).* Ceterum non de iis tantum, quae circa jactum, caedendam arborem et relinquendas anchoras, de quibus nominatim sermo est in art. 410. 411. 412. et 413., placuerunt, conscribendis, intelligendum esse hunc art.; verum illum ad omnia remedia extraordinaria, quae ex praecipuorum nautarum sententia adhibentur, esse extendendum, satis ostendit juris ratio, quae in pari causa idem placitum postulat. Videtur legislator omnium earum rerum separatam mentionem omisisse, cum sufficere arbitraretur, si de jactu, memorabili imprimis remedio, accuratius sententiam exposuisset,

(1) De ordine, quo res singulae projiciendae sunt, conferri potest *Pr. Landr. II. 8. §. 1800. ad 1804. R. Seer. art. 238.* De notandis iis, quae Consilio nautico placuerunt *Pr. Landr. II. 8. §. 1840. sqq.*

set, in art. 400. extr. satis indicato, omnis damni, ex communi sententia, ad communem salutem promovendam, sponte dati, similem esse rationem.

Quae autem huc usque de remedio ex sententia praecipuorum nautarum extra ordinem adhibito diximus, sunt ea diligenter observanda, quoties non ita urgens tempestas est, quin possit adhuc ejusmodi nautarum concio haberi. Verum saepe ita instat periculum, ut ne cogitari quidem de ea possit. Conveniunt leges atque Juris interpretes, magistrum hoc casu jus habere constituendi, quid communibus sumptibus communis salutis causa faciendum sit. Cf. *Conf. mar.* cap. 281. N. 2.; EMÉRIGON, *Tr. d. Ass.* cap. XII. pag. 605. *Jure Wisb.* art. 20., quo de necessitate hujus remedii adhibiti constat, requiritur, ut postquam in portum ventum est, tertia pars nautarum jurejurando affirmet, ad navem merces hominesque servandos factum illud fuisse. Sed art. 38. princ. sufficit, modo duo tresve fide digni nautae necessarium illud fuisse declarent. Nostro autem jure in relatione, quam facit magister, ubi portum ingressus est, de quo supra sect. 1. §. 2., etiam de remediis extra ordinem suo Marte adhibitis refert, quae narratio, ut vim habeat in jure, ex legis sententia confirmari debet nautarum et, si praestare eas voluerint, viatorum quoque declaratio.

tionibus. *Code de Comm.* art. 247. Utilis profecto et prudentissima constitutio, modo ita interrogentur nautae, ut de eorum sententia recte constet. Quocirca non simpliciter rogare eos debet iudex, an vera sint, quae magister retulit, quod utrum negandum videatur an affirmandum prae rusticitate vix recte ponderarent, sed ita quaestiones debet instituere, ut de veritate rei gestae quam plenissime constet. Nautas *interrogandos*, non simpliciter eos *testes* esse adhibendos ait legislator (1). Quod si vero regularis jactus post deliberationem, quae in scripturam redacta est, obtinuit, simpliciter in portum adveniens confirmare magister debet, quae tabulis, ea de re confectis, continentur. *C. de C.* art. 413. De his vid. quoque *Pr. Landr.* II. 8. §. 1843. sqq.

Similis fere juris ratio obtinet, si hostes vel piratae appropinquantur. Sed diligenter in hac causa distinguendi sunt casus duo; utrum scilicet defensionis ergo, an vero hostem devincendi gratia, pugna committenda sit vel vitanda. Profecto, quoniam navis mercatoria, etsi armis ad defensionem aptis instructa, non tamen ad hoc comparata intelligitur, ut hostes piratasve aggrediatur ultro, et quia, juxta *l. 36. ff. de R. J. culpa est, immiscere se rei ad se non per-*

(1) Verba sunt art. 247. *le juge reçoit l'interrogatoire.*

*pertinenti*, dubium non est, quin contra mandatum agat magister, qui navem mercesque huic periculo ultro committat, quod optime expositum est in *Conf. mar.* cap. 285., et confirmatur quoque *lege Rusf.* art. 44. Alia autem prorsus res est, si, hoste cum adorto, eligendum sit, utrum navis armis defendenda sit, fuga capesfenda sit, an vero pactis et transactionibus res expediunda videatur. Quod si vero iusta spes est hostem irruentem vincendi, qua de re secundum ea, quae modo diximus, quoties fieri potest, ex convocato nautarum consilio constat, de damno ex ignavia sua dato tenetur, arg. *l. 13. §. 7. ff. locati cond.* Cf. ROCCUS, *de nav.* not. 70. et *resp. I. N. 22.* Jure Hanseatico III. 12. magister, qui, paratis nautis, pugnam subire detrectasset, munere privabatur, nulli navi deinceps praeficiebatur, habebatur infamis, et in nulla Hanseatica civitate tolerabatur amplius.

Est autem diligenter notandum, defensionem hancce minime ad extraordinaria remedia esse referendam, ideoque, si consilium nauticum convocetur, de eo tantum agi, utrum fuga capesfenda an vero transactione periculum vitandum sit. In solo *Conf. maris*, cap. 29. mentio fit conventionis de communicando etiam hac in causa periculo; sed, cum hodie non soleant amplius mercatores ipsi praesentes in nave adesse et limitibus



bus suis circumscripta sit magistri potestas, facile intelligitur hujusmodi quid vix amplius obtinere. Quod igitur praedones abstulerint, semper ii perdant, quorum fuit, neque ceteros hoc damnum tangit. Cf. L. 2. §. 3. ff. de lege Rhodia; Guidon VI. 1.; LOCCENIUS §. M. 2., 8., 5. pag. 1000.; PECKIUS et VINN. pag. 218. et 219. §. M. H. VIII. 4. (1). Quod si fuga videatur capesenda praeter jactum, proscindendas anchoras, ceteraque hujusmodi, potest etiam decerni ut extra ordinem omnia pandantur vela, licet illud alias tempestas non ferre videatur. Ruptis iis, fractove malo praeter nima intentione, secundum ea, quae recte observat EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* XII. 41. similiter, atque in ceteris extraordinariis remediis, commune navis merciumque detrimentum est. Denique, si rem transactione finire magis placuerit, dubium non est, quin jure, ex sententia nautarum, ea de re cum hostibus piratisve agat. Sed, quod recte etiam vidit VALIN, art. 66. *des Asf.* 1681. (art. 395. *C. de C.*), haec observanda est cautela, ut primo summa, quam pro liberanda nave mercibusque promittit, numquam excedat ipsius navis merciumque valorem, deinde ut, quatenus hoc fieri possit, hostibus potius jus in re

tri-

(1) Contrarium sancitum est jure, quod Rhodiorum vulgo inscribitur *Exc. cap. 9.*

tribuat, quae ipsius curae est commissa, quam personam exercitorum obliget, hoc est, ut potius det iis partem mercium, aut foenoris nautici contrahat obligationem, quam litteras cambiales tribuat. Nempe tacitum mandatum habet magister obligandi ea, quae ipsius curae commissa sunt, sed cetera exercitorum bona obligare non potest, uti infra sect. 3. §. 4. accuratius videbimus. Hostibus autem vel piratis illis non datur tantum certa quaedam pecuniae summa, ut navem atque merces salvas finant; sed praeterea fit etiam aliquando, ut navem mercesque universas redimendi causa, pecunia eroganda sit. Communi scriptorum consensu et inveterata consuetudine effectum est, ut prorsus simile jus obtineat in hujusmodi redemptione, atque in transactione ista. Neque profecto diversa res est. Sive enim, ne navis atque onus diripiantur, sive ut capta utraque dominis restituantur, pecunia data fit, in communem navis atque oneris utilitatem eam esse erogatam negari non potest. Cf. *C. de C.* art. 400. N. I.

Sed quid, si ita necessitate coactus magister redemptionis pretium aliquod promiserit, num fides hoc casu, hostibus piratisve data, erit praestanda? Aut fallor aut distinguendi omnino sunt a se invicem hostis publicus et pirata. Jure belli ille navem adortus est; et, ut liberarentur cum navis, tum onus, aliquid ipsi praestitutum se

se jure promissit magister. Communis gentium consensus illud jus belli constituit. Et pactum de eo remittendo igitur non potest non vim habere. Sed nullo jure nos aggrediuntur piratae et quod, ne nobis negotium facesferent, illis promissimus, in foro civili non tantum, verum etiam in foro morali omni vi caret. Agentibus illis ad petendum, quod ipsis est promissum, responderetur promissum illud tantum esse, ne injuriam facerent, vel restituerent, quod abstulerant injuria, adeoque negandam iis esse actionem, quemadmodum furi aut homicidae nulla actio est ad petendum illud, quod forte, ne res nostras auferret, vel vita nos privatet, ei sumus polliciti.

Ceterum poscit facile earum rerum, quae extraordinario remedio adhibendo vel impensis, communi contributione sarcendis, locum facere possint, catalogus adhuc augeri. Sic in casu, de quo modo diximus, poscit placere, ut locum aliquem tutum intrarent, ibique, donec hostium periculum cessaret, manerent, vel expectarent alicubi navem bellicam, cujus tutela tuti essent. Memoratur item jure Wisbicensi, art. 55. et patrio antiquo, art. 10. *van Schipbr.* 1563. item *Jure Borusf.* II. 8. §. 1822., casus, quo etiam in mari medio navis, scopulis vel arenae inhaerens, minoribus navigiis (*ligters*) adhibitis, est allevanda, et jure decisum

est, ut illae impensae, ad communem salutem factae, aeque ad onus atque ad navem pertinerent. Add. CLAIRAC ad *J. d'O.* 4. N. 4.

§. 2. *De avariis et contributione* (1).

Communis salutis expediundae causa adhibitorum remediorum, quae suam habuerunt efficaciam, haec vis est, ut communi contributione farciatur, quod pro omnibus datum est *L. 1. ff. de lege Rh.* cum alias etiam in rebus nauticis valeat regula: *res perit domino.* Cf. *L. 2. §. 3., l. 5., 6. et 7. ff. de lege Rh.; Conf. mar.* 193. N. 1.; *Guidon*, cap. VI. art. 1., *qui perd, perd.* Aliquid absurdi adeo statuit, quodque omni juris nautici analogiae contrarium est, jus, quod Rhodiorum inscribitur, cum, nulla distinctione facta, inter damnum sponte datum et illud, quod ex vi tempestatis existat, universe jubeat: *εἰ τοῦ ναυκλήρου μὴ ἐμποδίσαντος, μηδὲ τῶν ἐμπόρων, συμβῆ ζημία ἢ ναυάγιον, τὰ σωζόμενα μέρη τοῦ πλοίου καὶ τῶν φορτίων εἰς συμβολὴν ἐρχέσθωσαν.* Cf. *Jus Rhod. excerpt.* cap. 27., 29., 30. et 40.

Di-

(1) Licet hic §. ad nostram disputationem minus directe pertinere nonnullis fortasse videbitur, operae pretium tamen videbamus facturi, si de avariis quoque disputaremus, quum hinc demum, quid damni navi suae dati nomine exigere possit, quidque pro eo conferre debeat magister, intelligatur.

Dicitur autem *damnum* in rebus nauticis voce satis barbara *avaria* (1), quae *particularis* est, cum singulare navis vel oneris detrimentum spectat, *communis* vero sive *grossa* dicitur, cum non mercatores tantum, vel solos navium dominos, sed utrosque simul tangit.

Itaque pertinet ad particularem exercitorum avariam imprimis, quidquid vi ventorum, aliove casu fortuito, damni datum est et impensae, quaecumque occasione illius detrimenti fuerunt faciendae. Mercatorum vero avaria particularis est, si merces casu fortuito, proprio vitio, vel etiam culpa magistri, deteriores factae sunt, licet posteriore casu contra magistrum et exercitores actionem habeant salvam. Sunt autem ab avariis particularibus distinguendae simplices impensae, quae semper in itinere sunt solvendae adeoque praevideri possunt. Nisi aliud actum est, praestantur illae semper ab exercitoribus. Cf. C. de C. art. 403., 404., 405. et 406. (2).

Ad avariam grossam imprimis referendum est omne *damnum*, quod sponte datur, omnesque expensae, quae ultro fiunt, ut periculum aliquod vitetur; deinde si quid occasione hujus *dam-*

(1) De vocis origine atque universo de iis, quae ad avariam pertinent, videri potest *Dissert. Inaug. de Avariis generatim* quam scripsit D. E. NYKERK. Lugd. Bat. 1816.

(2) Aliter quodammodo distinguit *Jus Borusf. II. 8. §. 1774. sqq. et Lex Rusf. art. 229. 199.*

damni extra ordinem fuerit impendendum, vel detrimentum aliquod per consequentiam acciderit; denique quas expensas ex speciali causa leges ad hanc avariae formam retulerunt, quae stricta juris analogia huc non pertinuisent.

Merces, quae e nave jactae sunt, prioris sunt generis. Propter has igitur contribuendum est, quoties jactu perierunt. Quum enim dominus, vel alijs pro eo, sola necessitate coactus, eas mari immittat, neque animum habuisse praesumatur eas derelinquendi, recuperatis a domino mercibus, jure Romano cessat contributionis ratio. Cf, *L. 2. §. 7. et 8. ff. de lege Rh.*, quod placitum art. 429. *Cod. nostr.* prudenter ita temperatum est, ut damnum, quod jactu iis acciderit, et recuperationis expensae sint restituendae. In aestimandis rebus jactis jure Romano ratio habebatur pretii emptionis, *quoniam detrimenti non lucri fit praestatio. L. 2. §. 4. ff. de lege Rhodia.* Deinceps vero jure *Conf. mar. 95.* et *Wb. Z. 69. et 70.*, distinguebatur, utrum dimidia pars itineris jam confecta esset, nec ne. Quod si illud obtineret, ratio habebatur pretii venditionis, sin vero hoc locum haberet, quaerebatur, quale pretium emptionis fuisset. Sed, in definiendo venditionis pretio, detrahendae erant vectigalium ceteraque expensae, quae, falvis mercibus, a dominis fuissent solvendae. Vid. WEYTSSEN, *over Avaryen,*

*ryen*, §. 22. Deinceps vero art. 6. *van Schipbr.*  
 1563. sancitum est, ut sublata ista distinctione  
 merces semper aestimarentur, quanti venire pos-  
 sint, nullo ceterisque expensis abstractis.  
 GROENEWEGEN, *de leg. abr.* ad l. 2. §. 4. ff.  
*de leg. Rh.*; DE GROOT, *Inl.* II. 29. §. 12.  
 Affirmant nihilominus totidem verbis, tum VER-  
 WER ad *d. art.* 6. de urbe Amstelodamo, tum  
 univérse de regionibus nostris VAN LEEUWEN ad  
 WEYTSSEN, §. 22. et COREN, *Obs. rer. Jud.*  
 XLI. 4. hoc legis placitum usu non venisse.  
 Add. NEOSTADIUS, *Decis.* 48. Obtinuit tamen  
 illud tum jure Gallico antiquo, tum hodie apud  
 Borusos Franco-Gallos et nostrates. *Ord.*  
 1681. art. 6. *du jet.* ibique VALIN, *Pr. Landr.*  
 II. 8. §. 1861., et *C. de C.* art. 304., 402.  
 et 415. Fit autem aliquando, ut projiciatur res  
 pretiosior, quam externa specie visa fuerit,  
 puta fascis, quae lanam aliasve viliores merces  
 continere videtur, aurum vel gemmas contineat.  
 Sic dubitari possit, utrum veri pretii an ejus,  
 qualis ex externa specie habebatur, ratio haben-  
 da sit. Prudentissime autem constitutum est jure  
*Wb.* 38. §. 3. et art. 5. *van Schipbr.* 1563.  
 ut, nisi, opportuno adhuc tempore, magistro  
 indicatum sit, quid ejusmodi fascibus arcisve  
 contineatur, tantum praesumptus valor in censum  
 veniat. Eadem ratione *Cod. merc.* art. 418.  
 constitutum est, ut si res jactae majoris sint

valoris, quam qui in litteris recognitoriis declaratur, de valore ex iis litteris iudicetur, si vero minoris sint pretii, verae aestimationis ratio habeatur, adeo ut ejus dissimulatio numquam lucrum, sed aliquando damnum domino afferat. Cf. *Ord.* 1681. art. 9. et 10. *du jet.* (1). Cum autem vetitum sit, ne merces in tabulato navis exponantur, *Ord.* 1681. art. 13. *du jet.* et *C. de C.* 421., pro iis jactis domini contributionem nullam possunt exigere, adeoque solum magistrum ejusque exercitores de damno ipsis dato possunt convenire. Cf. etiam *Pr. Landr.* II. 8. §. 1819. Quod si res suas ita navi imponi probaverint, amissarum rerum suarum periculum suscepisse ipsi videntur. Ceterum, pecuniâ projectâ, placuerat olim, ut pro singulis nummis binos reciperet dominus *Wb. Z.* art. 38. §. 3. Quod placitum, ad *Jud. Oler.* 8. N. 24., sic interpretatus est Clairacus: *c'est à dire, que l'argent doit estre bien conservé, et ne doit estre jetté, qu'à toute extrémité, comme estant une espèce de victuaille, le nerf et le maintien de la navigation et du negoce.* Idem illud obtinuisse olim Amstelodami apud collegium, quod assecurationibus praefuit, testis est *VERWER* ad d. 1. *Juris Wb.*

(1) Similis habetur constitutio apud Borusos *Pr. Landr.* II. 8. 1804. ad 1807.



*Wb.* Hodie vero pecuniae jactus a jactu aliarum rerum distinctus non est.

Praeter merces etiam communi contributione farciendae sunt anchorae et scaphae communis periculi vitandi causa derelictae, item ad minuendam vim hiemis caesa arbor (1). Cf. L. 3. L. 5. §. 1. ff. de lege Rhodia; *Conf. mar.* cap. 107.; C. de C. art. 400. A quo casu diligenter distinguendus est is, quo ad petitionem mercatorum, nulla necessitate cogente, ejusmodi quid factum est. Sic in *Conf. mar.* 108. statutum est, ut, si tantum, quo citius navigatio absolvatur, scapham omittendam ducant mercatores, soli illi damnum restituant. Porro ita farcienda est summa, quae ex transactione solvenda fuit hostibus piratisve, quaeque ad navem mercesque redimendas est erogata, deinde impensae, quae fiunt, ut navis praeter culpam magistri arenae inhaerens, mercium simul atque navis servandarum causa, alto iterum committatur, denique, si quae alia ultro dentur damna, aut fiant expensae communis salutis promovendae causa. C. de C. art. 400.

Ad

(1) Non est, quod in cit. art. 400. N. 3. difficultatem pariat vox *rompus*. Nempe, tum ex collato art. 403. N. 3., tum ex iis, quae in Consistorio Principis acta sunt, relata a LOCREO ad h. l., satis patet, ita demum ad avariam communem arborem *ruptam* referri, si rupta fuit communis salutis expediendae causa.

Ad impensas occasione remedii extraordinarii, extra ordinem factas, pertinent imprimis, quae, si praeter mandatum frequentandus est portus, expenduntur ad conducenda minora navigia (*ligters*), in quae pars mercium transferatur, ut cum ceteris mercibus in portum salva navis appellat. *Wb. Z.* art. 55.; *C. de C.* art. 400. N. 7. Eiusdem generis sunt, quae expenduntur, ut apta reddatur navis, quae naviget, postquam periculi vitandi causa in littus immissa est d. art. 400. N. 1.

Respondet autem cum PAPIRIO FRONTINO CALISTRATUS in l. 4. §. 2. ff. *de lege Rh.*: „ si-  
 „ cut ei, qui perdidit, subveniatur, ita etiam  
 „ ei subveniri oportere, qui deteriores propter  
 „ jactum res suas habere coeperit.” Ratio additur,  
 „ cum nihil interfit *jactatas* res meas  
 „ amiferim an *nudatas* deteriores habere coepe-  
 „ rim.” Atque est hodieque juris explorati,  
 omne damnum, hac ratione mercibus datum,  
 esse refarciendum. Cf. *Guidon* V. 22.; *Ord.*  
 1681. art. 6. *des avaries*; *C. de C.* art. 400.  
 N. 5. Quod autem navis eodem modo tantum  
 per consequentiam damnum passa est, numquam  
 potest repeti, quidquid post Valinum ad *Ord.*  
 1681. art. 14. *du jet.*, dicant interpretes ad  
*Cod. merc.* art. 422. Nam primo avariae gros-  
 sae species enumerans loquitur tantum legislator  
 in art. 400. N. 5. *des dommages, occasionées*  
 par

*par le jet* AUX MARCHANDISES, et deinde art. 422. et 426. diserte dicitur contributio sic de-  
 mum in favorem navis obtinere, si damnum *flu-*  
*dio* datum fit. Fortasse distinctionis ratio in eo  
 sita est, quod, damno navi dato, minus facile  
 potest discerni, utrum e vi tempestatis, an vero  
 ex remedio ad tutandam navem mercesque adhi-  
 bito oriundum fit. Nam si dedita opera et legi-  
 tima ratione navis tabulae rumpantur, quo faci-  
 lius merces projiciendae e nave extrahantur,  
 aeque contributioni locum esse, atque si arbor  
 caedatur, ultro intelligitur. Cf. d. art. 426.

Ad illud, quod diximus legislatorem nonnul-  
 los casus ad avariam grossam revocasse, qui il-  
 luc proprie non pertinerent, referendum est le-  
 gis placitum, ex quo nauta, in defendenda nave  
 vulneratus, communibus impensis sanandus est.  
 Ratio haec esse videtur, quod licet, recte no-  
 tante VERWERO ad *Placc.* 1551. art. 28. non  
 damnum sit dedita opera datum, tamen aeque  
 communis navis merciumque salus inde pro-  
 fecerit. Stricta autem juris analogia ad solam  
 navem hae impensae pertinere debuerant, cum  
 ipso jure ad receptas res tuendas pro exercito-  
 ribus obligatus est magister. *C. de C.* art. 400.  
*N. 6.*; *R. Seer.* art. 241.

Praeter has causas jusfit etiam legislator, ut  
 communi quoque contributione solverentur ali-  
 menta et stipendia, nautis, nave publice deten-

ta, vel medio itinere communis salutis causa restituenda, praestanda, si quidem in singulas menses conducta sit navis. Quod si enim in univ-  
 ersum iter navis est conducta, hujusmodi impen-  
 sae solam navem spectant. *C. de C. art. 400. N. 6.*  
 et 403. N. 4. Hujus distinctionis causa est,  
 quod, in univ-ersum iter locata nave, damnum  
 morae in se suscipit magister, quod secus est,  
 si in menses singulas stipulatus est mercedem.  
*Conf. les Obs. du trib. de Havre, Nouv. VAL-*  
*LIN ad C. de C. art. 400.* Hodierna vero consue-  
 tudine apud nostrates huic juris scripti placito  
 est derogatum, et referuntur semper alimenta et  
 stipendia nautarum ad avariam particularem.

Contributioni huic jure Romano obnoxiae  
 erant omnes res, quae erant servatae, ut adeo  
*jacturae summam pro rerum pretio distribui*  
*oporteat*, et excepta tantum sint, tum liberi  
 homines, quippe quorum nulla est aestimatio,  
 tum *si quae consumendi causa imposita sint,*  
*quo in numero sunt cibaria*, imprimis prop-  
 terea, si PAULUM audias, quod, *si quando ea*  
*defecerint in navigationem, quod quisque ha-*  
*beret, in commune conferret.* Contra vero ne  
 vestimenta quidem, et annuli, cetera, quibus na-  
 vis vix ac ne vix quidem oneratur, a collatione  
 erant libera. *Cf. l. 2. §. 2. ff. de lege Rho-*  
*dia.*

De mercibus quidem, quin, nullo habito discrimine, cujus sint generis et, utrum majoris minorisve sint ponderis, in tributum veniant, nulla lege dubitatur. Cf. *Conf. mar.* cap. 94. 97. N. 1.; 129.; *Wb. Z.* art. 20. 21. 38. §. 1.; *J. d. Ol.* 8.; *Placc.* 1551. art. 41.; art. 6. *van Schipbr.* 1563.; *Ord.* 1681. art. 7.; *C. de C.* art. 417.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1871. Jure *Wisbicensi* tamen art. 20. et d. art. 8. *Jud. Ol.* privilegii loco, singulis nautis unius cadi immunitas est tributa, et *Conf. mar.* d. cap. 129. a collatione exempta sunt ea nautarum bona, quae pro stipendio, ante iter susceptum soluto, empta, ipsius stipendii jure utuntur. Sunt autem merces illae pretio venditionis aestimandae juxta *L. 2. §. 4. ff. de leg. Rhod.*; art. 6. *van Schipbr.* 1563.; *Ord.* 1681. art. 6. *du jet.*; *C. de C.* art. 415.; sed olim jure *Conf. mar.* cap. 95.; *Jure Wisb.* art. 69. et 70. et moribus patriis, teste VERWERO ad d. art. 6. *van Schipbr.* 1563., eadem ratione, atque in aestimandis mercibus jactis, utrum iter pro parte dimidia absolutum foret nec ne, distinguebatur.

De nave autem, et nauulo, quatenus eorum nomine conferendum sit, difficilior est disputatio. Putat Q. WEYTSSEN, *van Avaryen*, §. 44. jure naturali requiri, ut pro tota nave et universo nauulo conferatur, quippe quo jure requiratur, ut pro singulis rebus servatis etiam conferatur. Et

de nave quidem dubium non est, quin idem apud Romanos obtinuerit, *L. 2. §. 2. ff. de lege Rhodia*. De naulo vero tacet, satis certo nisi fallor indicio, de collatione propter naulum cogitatum non fuisse, cum ageretur tantum de *rebus servatis*, inter quas naulum, (cujus neque cesferat, neque venerat dies,) non fit habitum. Secundum *Conf. mar. 93. 94. et 96.* pro dimidia navis aestimatione conferebatur et, nauli universi tum demum ratio habebatur, si dimidia pars itineris jam foret confecta. *Jure Wisb.* vero art. 20. pro tota nave et universo naulo erat conferendum, sed art. 38. N. 2., ad mercatoris electionem, alteutrius tantum ratio habebatur (1). Posterius hoc placitum obtinuit etiam ex art. 6. *van Schipbr. 1563.* ubi conf. VERWER. Quod igitur dixit WEYTSSEN l. laud. usu venire, ut potius pro dimidia parte navis simul et nauli conferatur, de consuetudine ante latam legem Philippicam est intelligendum. Ceterum, cum juri naturali contrarium visum sit illud art. 6. placitum, ad solos casus jactus, caesae arboris, immisionis navis in littus, quos diferte memorat lex, restringendum eum, ut in cetera avaria grosa juris naturalis placitum obtineat, putat VERWER ad art. 6. laud. et ad tit.

VAN

(1) Hos duos artt. ad diversas legum collectiones pertinere in Proleg. observavimus.

*van Schep. die malk.* — Jure Gallico anni 1681. art. 3. *des avaries* et secundum *Cod. merc.* art. 401. et 417. tantum, pro dimidia parte nauli et aestimationis navis, contribuendum est. Sed quaeri potest, quomodo efficienda sit navis aestimatio? Nam etiam in illa definienda in varias sententias itur. WEYTSSEN, §. 42., antiquam consuetudinem memorat, juxta quam magister certi alicujus pretii navem declarabat, quod, si mercatoribus minus justum videretur, iis erat optio intra sex horas utiles navem pro eo pretio suam esse jubendi. Cum vero sic nimis facile re sua defraudarentur exercitores (1) iste mos jam ejus tempore evanuerat. §. 43. Hodie vero ad art. 417. dubitaverunt interpretes, utrum ratio habenda sit valoris navis, qualis fuit in loco, unde solvit magister, an vero, qualis futurus est in loco exonerationis. Atque fuit adeo DELVINCURTIUS imprimis, qui locum, ubi onus navi impositum est, spectandum esse affirmaret. Atque profecto, si, quaenam acquisitima videatur sententia, quidque statui maxime expediat, quaeratur, nulli dubitamus, quin pedes eamus in ejus sententiam. Nam cum propter *omne* illud, quod

(1) *L. II. ff. de Reg. Jur.* „ id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non debet.” Exstat autem hodieque similis constitutio in *Jure Daniae IV. 3. art. 10.* quo 24. horae mercatori conceduntur.

quod servatum sit, contributio debeatur, propterea demum, ut videtur, pro *dimidio* valore in tributum venire solet navis, quoniam, itinere pro parte jam confecto, impensis instructionis et maris attritu non tota pristina navis aestimatio exercitoribus servata est. Navis v. c., quae constitit 30000 flor. et ad cujus instrumenta emenda flor. 5000, ad cibaria aliasque impensas alteri flor. 5000 sunt erogati, si jactu servata sit, non dici potest flor. 40000 res exercitoribus esse servatas, sed, ut justa ejus aestimatio fiat, ratio foret habenda detrimenti, quod tempore jactus jam ceperat, tum navis ipsa, tum ejus instrumenta, et consumptorum jam tunc cibariorum. Quoniam autem haec singula non facile justo veroque pretio aestimantur, recte potest constitui, ut universus quidem navis valor in loco onerationis computetur; sed ejus pars dimidia tantum in tributum veniat. Quod si dimidia tantum valoris pars veniat in censum et praeterea adhuc detrimenti, quod passa navis est, habeatur ratio, summum exercitori concedi beneficium, nemo ibit infitias (1). Verum enim vero, cum sic de jure constituendo dicentibus nobis standum videtur sententia Clariss. DELVINCUR-

(1) Quod si recte ita interpretatus sum hocce juris placitum, illud minime ita juri naturali contrarium est, quam visum fuit WEYTSENO, VERWERO, aliisque.



CURTII, secus est, si de jure, nostro Codice constituto, quaerimus. Etenim, tum verba art. 417. ea sunt, ut plane forent torquenda, si quis in hanc sententiam ea velit explicare, tum vero imprimis, quominus illud faciamus, vetant plane et prohibent, quae de ipsa hac lege condenda acta sunt. Nempe fuerunt, quae hunc sensum huic articulo tribuendum putarent, tribunalium observationes, sed sunt eae a legislatore rejectae. Cf. LOCÉ ad h. art. Ceterum etiam apud Borusos navis aestimationis in loco exonerationis ratio habetur, sed ibi quoque pro integro navis et nauli pretio contribuendum est. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1868. Ceterum videri possit art. 427. *Cod. merc.* pro integro valore navis et oneris contributionem exigere, si merces navis levandae causa in naves minores, vel in scaphas trajectae sint, atque ita sint submersae; sed ex communi doctorum virorum sententia ad normam l. 4. ff. de lege Rhodia merces, navis levandae causa, scaphis impositae eodem loco habitae sunt, quo merces in mare projectae. Cf. *Interpr. ad h. art.* Itaque verba *en entier* legis. 1681. art. 19. *du jet.* et art. 427. *Cod. nostr.* jungenda sunt tantum proxime praecedenti *chargement*, ut sensus sit, non merces tantum, quae in nave remanserunt, sed tum illae, tum vero etiam eae, quae in scapham fuerunt immisae, adeoque

*integrum* onus contributioni esse obnoxium. Add. EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* XII. 26. §. 3.

Nautarum stipendium jure antiquo patrio, si VERWERUM audias in sola causa jactus, caesae arboris et immisae navis in littus a contribuendo erat liberum. Vid. VERWER ad art. 6. *van Schipbr.* et ad tit. *van Schep. die malk.* 1563. Jure Gallico anni 1681. ita demum pro eo conferebatur, si ab hostibus redimenda erat navis. art. 11. *du jet.* coll. art. 20. *de l'eng. et des loy.* Hodie, aequiparatis prorsus omnibus avariae grossae formis, numquam stipendii nomine magister nautaeque conferunt. *C. de C.* art. 304. coll. 272. et 417.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1874.

Privilegio a contributione immunita sunt hodieque, quemadmodum apud Romanos, ea, *quae consumendi causa imposita sunt*, qualia sunt cibaria. *Ord.* 1681. art. 11. *du jet.*; *C. de C.* art. 419.; LOCCENIUS, *de J. M.* II. 8. 21., a quibus distinguendas esse merces edules optime observat DOMAT *Lois Civ.* II. 9. 2. N. 8., praeterea, quae ad navis defensionem pertinent, item vestimenta nautarum. *Ord. et C. de C.* l. cit. VINNIUS ad PECKIUM, pag. 213.

Cura, ut rite haec omnia expediantur, ad Magistrum pertinet. Ubi in locum exonerationi destinatum ventum est, judicem debet adire. qui peritos artis designet, ad definiendum, quid ava-

avariae grosfae nomine contribuendum sit, et quaenam summa propterea a singulis sit praestanda. Quod peritis illis, a quibus jusjurandum exigitur, placuit, iudicis sententia confirmatur, ut executioni possit mandari: ut sit adeo peritorum relationi simul arbitrorum sententiae vis tributa. Ceterum iudex ad peritos istos designandos competens idem est, quem in hujusmodi causa saepius jam memoravimus, in patria Tribunal mercatorium, aut Iudex Pacificator; apud externos Consul nostri populi aut Magistratus loci. *C. de C.* art. 414. et 416. Dictis illud addendum superest, nemini licere contributione damni restitutionem petere, nisi detrimentum centesimam aestimationis partem excedat. *C. de C.* art. 408. De ratione vero, qua magister curare debet, ut juxta latam sententiam summam, in quam quisque condemnatus est, nanciscatur seq. capite sect. II. §. 2., ubi etiam de nauli exactione disputandum est, videbimus.

§. 3. *De naufragio et capta nave.*

Quae huc usque disputata sunt, ad eum casum pertinent, quo, adhibito remedio extraordinario, navis adhuc servari cum mercibus potuerit. Quod si vero haec frustra egerit magister, et tempestas instans naufragium minetur, vel hostes navem jamjam occupaturi videantur,

tur, et merces direpturi simul, atque homines abducturi, ipsi fas est navem relinquere. Sic enim vi majore magister prohiberi recte dicitur, quominus amplius in nave permaneat, juxta illud CICERONIS pro *Caecina* cap. 15., „ non „ eam solam vim esse,” affirmantis, „ quae ad „ corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam „ multo majorem eam, quae, periculo mortis „ injecto, loco saepe ac statu demovet.” Ut autem constet non meticolosius fugam esse capessitam, quemadmodum in ceteris causis, ita etiam in hac, deliberatio requiritur nautarum. Observare hoc loco nihil attinet, solam nautarum sententiam minime omnem navis derelictionem magistro justam reddere. Nam ex iis, quae supra jam, hoc cap. sect. 1. §. 3., de auctoritate consilii nautici diximus, abunde contrarium verum esse patet. Ceterum etiam dum pericula ita effugiat magister, muneris sui oblivisci non debet; sed pecuniam et pretiosiores merces, quatenus fieri potest, secum debet servare. Quod si igitur, prae metu nimium festinans, cum nautis suis in scapham insilierit, neque servarit, quod servare potuisset, culpae reus est. *Ord. 1681. art. 26. et 27. du Cap. C. de C. 241.* Est autem operae pretium animadvertere, commendandam imprimis esse magistro curam instrumentorum, praesertim eorum, quae ad rationes reddendas pertinent, cum non facile fides ha-

habeatur magistro, scripta instrumenta periisse affirmanti, quae fervare diligentiae potius est, quam multi laboris.

Quatenus autem, simul atque navis ventis hostibusve occupanda relinquitur, etiam pars mercium fervatur eo ipso, quod ceterarum cura jam omittitur, ipsa haec navis derelictio in speciem incidit avariae grosfae, de qua modo diximus. Scilicet cum, secundum aequitatem naturalem, omnibus mercibus eadem debeatur cura, dicendum est, quemadmodum ad omnium, quatenus fieri possit, salutem promovendam in jactu, mari ultro committatur, pars mercium et ipsa navis, ita hac in causa mari occupanda relinquitur, ut omnis magistri cura ad nautas ceteramque partem mercium fervandam intendatur.

Cf. EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* XII. 26.

Verbo etiam hic memoranda est quaestio, an aliquando liceat magistro, instantibus hostibus, dum ipse cum ceteris nautis et parte fortasse mercium aufugiat, navem comburere, ne hostes ea potiantur. Tacent de hac quaestione leges nauticae, adeoque standum est iis, quae supra diximus et magistro, de levisima culpa obligato, suadendum est, ne facile ejusmodi aliquid agat. Profecto vix ea temporum est infelicitas, ut omnis omnino aliquando navem recuperandi spes prorsus sit sublata, tum, quod prohiberi potest hostis, quominus navem secum

ab-

abducatur, tum vero imprimis, quod hostibus iterum potest avelli; quod si intra 24. horas factum est, navis non ejus est, qui eam iterum occupavit, verum jure *receptionis*, (*droit de recousse*) quod ita vocare liceat, manet pristini domini (1). Ex publica utilitate contrariam sententiam defendenti respondemus, tenendum esse semper, magistrum rem non suam incendio perdere, nemini autem licere alienis divitiis esse beneficium.

Naufragium passus magister eadem ratione, atque supra jam exposuimus sect. 1. §. 2. pag. 53. coll. sect. 3. §. 1. pag. 85. judici vel magistratui illud, quod ipsi accidit, refert. *C. de C. art. 246. et 247.*; ROCCUS *de Nav. Not. 95.*; CLAIRAC, *§. de la Mar. 95.* Apud Romanos olim casu naufragii saepe quaestionem esse habitam docet *L. 3. Cod. de Naufr.*

§. 4. *De alimentorum et pecuniae inopia et facultate magistro concessa, mutuam sibi comparandi pecuniam.*

Fortuna adversa, quam in itinere patitur saepe magister, saepe etiam efficit, tum, ut medio ma-

(1) De hoc jure egregie exposuit EMÉRIGON, *Tr. des Af. XII. 23.*

mari inopia prematur alimentorum, tum, ut  
 procul ab exercitoribus opus habeat pecunia.  
 Alimenta si deficient, juris naturalis praeceptum  
 confirmantes leges populorum civiles, Magistro  
 jus faciunt cogendi, si qui in nave cibariis non-  
 dum destituti sunt, ut ea cum ceteris commu-  
 nicent. *L. 2. §. 2. extr. ff. de leg. Rh.*; *CLAIRAC*  
*ad J. d'O. 17. N. 6.*; *Conf. mar. 106.*; *Ord. 1681. art. 31. du Capit.*; *C. de C.*  
*art. 249.*; *Pr. Landr. II. 8. §. 1755.* *Add.*  
*R. Seer. art. 45.* Quam primum ea restituenda  
 jubent *Conf. mar. d. l. et VINN. ad d. l. Rh.*  
*pag. 215.*; pretium vero eorum solvendum ju-  
 bent *CLAIRAC d. l. Ord. 1681., C. de C. et*  
*Pr. Landr. II.* Cum vero sola necessitas ur-  
 gens hanc vim dominis illatam justam potest  
 reddere, jus hodiernum prudenter legi a. 1681.  
 addit, sententiam nautarum, quae illam probet,  
 esse explorandam. Eandem autem hanc juris ra-  
 tionem obtinere, si, deficientibus cibariis, mer-  
 ces sint, quae in hunc usum possint adhiberi,  
 non est, quod late disputem; verum tamen aut  
 fallor, aut ratione restitutionis damni aliquod  
 discrimen intercedit. Nam cum quis cibaria  
 tantum propterea secum ducat, ut habeat unde  
 vitam sustentet, minime vero, ut quaestum iis  
 faciat, eorum simplicem aestimationem reci-  
 piens, omne, quod sua interest, recuperavit. Se-  
 cus vero est in mercibus edulibus. Nam sunt il-

illae contra tantum lucri faciendi gratia navi impositae, adeoque mercator, qui solam aestimationem reciperet, lucro jure sperato privatus, minime foret indemnis. Atque proinde in his restituendis ratio quoque est habenda lucri cessantis, in illis vero simplex restituenda est cibiorum aestimatio.

Nescio, an nulla fit magistri muneris pars, de qua ita controvertatur, et cujus accuratior interpretatio nostra pluris interfit, quam ea, quae versatur in comparando necessariam ipsi pecuniam, qua vel ad navis refecionem, vel ad alias necessarias impensas opus est.

Distinguendum est hac in re, utrum copia ipsi data sit conveniendi exercitores eosve, qui horum res procurant, quales sunt imprimis, quos *Correspondentes* dicimus, an vero absint illi, vel nolint etiam Correspondentes pecuniam ipsi praebere. In priori casu simpliciter adeundi sunt illi, ut, quocumque velint modo, magistro pecuniam comparent, adeo ut magister, qui, cum praesto sint exercitores, nihilominus praeter eorum consensum foenus nauticum contraxit, juxta *J. M. H. VI. 1.* arbitrariam poenam patiatur. Unica causa, qua illud licitum est, nempe cum, locata nave, nonnulli exercitores partem impensarum nolint praestare supra cap. 2. sect. 1. §. 2. jam est exposita. In ceteris, praeter eorum auctoritatem agens, solus magister tene-  
tur.



tur. *J. M. H. l. cit. Guidon V. 35., XVIII. 4.; Ord. 1681. art. 17. du Capit.; Pr. Landr. II. 8. §. 1499.; C. de C. art. 321.* Posteriore autem hoc articulo illud in lege a. 1681. mutatum est, ut nisi actui intervenerint exercitores, publico tantum instrumento de eorum consensu constet. Cf. LAPORTE ad h. art. Sin vero haec via sibi pecuniam comparandi magistro praerupta sit, ex vi taciti mandati faciendi ea omnia, quae ad perficiendum cum mercatoribus initum contractum sunt necessaria, ipse sibi comparare potest pecuniam. Sed de ratione, qua illud agat, disputantes in varias partes, cum ipsis legibus nauticis, abeunt etiam earum Interpretes.

Jure Romano, ut videtur, non trajectitiam tantum, verum etiam ordinariam pecuniam mutuam sumere poterat. Certe probari nullo modo potest, pecuniam mutuam, de qua in *L. 1. §. 8. sqq. ff. de exerc. act.* mentio fit, tantum ad foenus nauticum pertinere.

Secundum *Conf. mar. cap. 104. et 105.* magister, qui alio modo pecuniam sibi comparare non potest, jus habebat cogendi mercatores, ut eam ipsi praestent, etiam venditis mercibus. Verum non satis constat ita, utrum antea pecuniam trajectitiam quaerere debuerit, cujus, excepto forte cap. 236., vix mentio quaedam occurrit.

An-

Antiquo jure patrio accuratius fuit sancitum, ut primum foenus nauticum in carinam sibi compararet, atque demum, si illud invenire non potuerit, merces vendere liceret, denique si neque hoc facere potuisset, explorata nautarum sententia, funalia obligare posset aut vendere. Cf. *Placc. van Carel* V. a. 1549. art. 19.; *Rec. van Placc. Ord. enz. betr. de Zeez.* Vol. III. p. 33. sqq.; art. 12. *van Schipp. en Koopl.*, art. 19. *van Asfeur.* 1563. Cf. etiam *J. d'O.* art. 1. *Wb. Z.* art. 13., 35., 40. et 41.

*Jure Hansf.* VI. 1. primum operam dare debuit magister, ut Cambiales litteras compararet, sin has obtinere non potuisset, debuit dispicere, utrum in majus exercitorum commodum mercium partem venderet, an vero potius foenus nauticum contraheret. *Jure Danico*, Lib. IV. 2. art. 15. et 5. art. 1. primum Cambialibus litteris, deinde venditis, quae ad exercitores pertinent, mercibus, atque tunc demum pecunia trajectitia sibi prospicere potest.

Atque sic favet quoque litteris Cambialibus, prae foenore nautico, tum lex *Rusforum* art. 46., tum *Borusforum*, Lib. II. 8. §. 722., 1499. ad 1502.

*Jure Gallico* vero anni 1681., et eo, quo nunc utimur, tacite adempta magistro facultas est litteras cambiales in exercitores scribendi, cum art. 19. *du Cap.* 1681. ipsi tantum concessum

fit

fit jus obligandi navem, et instrumenta merces-  
 que vendendi, et art. 234. ei potestas facta sit,  
 foenus nauticum in navem mercesque contrahen-  
 di (1), vel etiam has vendendi. Cambium ta-  
 men in exercitores a magistro tribuendum ajunt,  
 VALIN ad cit. art. legis 1681. atque LOCRÉ ad *Cod.*  
*merc.* art. 234. Nobiscum vero facit EMÉRIGON,  
*Contr. à la Gr.* IV. II. §. 5. et BENECKE, *Asf.*  
*u. Bodm. Wes.* XI. 7. Vol. III. pag. 463. sqq. Pro-  
 fecto cum in rebus nauticis hodie habeatur pri-  
 maria haec regula: exercitorem ab omni obliga-  
 tione praestandi facta magistri liberari, simul  
 atque creditoribus navem nautumque cedat (*Cod.*  
*merc.* art. 216.), numquam cogi potest ad lit-  
 terarum cambialium solutionem, cum navis pe-  
 riit, et omne jus, quod ipsi ex exercitoria so-  
 cietate fortasse superest, cesfit, adeoque is, qui  
 pecuniam suam magistro credidit, neque sibi sa-  
 tisfacere potest ex iis, quae sibi cesfa sunt, so-  
 lum magistrum haberet, quem ad sua repetenda  
 conveniret. Quod si igitur confiteatur quis, uti  
 ne

(1) Non est, quod propter verba d. art. *mettre en gage*  
 dubitet aliquis, quin liceat magistro foenus nauticum in  
 merces contrahere, an vero tantum pignori eas tradere  
 possit. Profecto cui plus licet, minus necessario debet  
 licere, atque proinde, si ita obligare magister merces po-  
 test, ut aliis tum jus in re, tum possessionem praebet,  
 procul dubio quoque, sibi retenta possessione, solum jus  
 in re potest tribuere.

necesario confitendum est, nullam personalem obligationem habere exercitorem solvendi litteras cambiales, sed liberari, simul atque navem nauticumque creditori cesfit, simul concedat necesse est, magistro ademptum esse jus, nomine exercitoriae societatis, litteras ejusmodi pro mutuata pecunia tribuendi. Itaque redit oratio, a quo incepit, et ex disputatis efficitur, legislatorem, cum dicat in laud. art. 234.: *le Capitaine .... pourra .... emprunter sur le corps et quille du vaisseau, mettre en gage ou vendre des marchandises*, omnem alius generis mutationem prohibere.

Neque tamen ita haec intelligi volumus, quasi regulae propositae, magistrum cambio non uti, nulla admittenda sit exceptio. Scilicet, si enormis usura nautica exigatur, si non nisi vilissimo pretio, vel ne sic quidem, vendi possint merces, vel hostis, qui navem aggressus est, eam dimittere nolit, nisi litteris cambialibus modicam summam ipsi praebet magister, ex locis et temporibus nonnumquam dicendum est, utiliter, qui cambio usus est, negotium exercitorum gessisse magistrum. Verum si propterea defendas, exercitorem sic non defungi cessione sua, minime sententiam ideo obtinebis, quod mandatum sic egressus non videatur magister, sed quia utiliter, licet praeter mandatum, ita negotium exercitoris gesserit. Cf. l. 27. ff. de reb.

*reb. cred.*; l. 1. *Cod. si al. res pign.*; l. 10. §. 1. *ff. de neg. gest.*

Quod autem ad contrahendum foenus nauticum aut vendendas merces attinet, non definitum est, quid potissimum agere debeat magister. Videtur igitur ipsi potestas facta eligendi illud remedium, quod maxime expediat. Cum vero, ut §. proximo dicemus, etiam deperdita nave, mercium venditarum aestimatio sit solvenda, fere semper magis e re exercitoris est, ut, quoties fieri possit, sibi pecuniam trajectitiam comparet magister, et, si vendendae merces sint, potius exercitorum, quam mercatorum res vendat. Sic verum est quod circa agendi ordinem dixit POTHIER, *Contr. mar.* N. 33. Hoc vero imprimis magistro videtur commendandum, ut, si in commodum navis pecunia sit adhibenda, exercitores potissimum obliget, si mercium utilitas vertatur, mercatorum etiam res obstringat, sin vero propter navem atque onus simul eroganda sit pecunia, in navem et onus etiam foenus nauticum contrahat. Exempla posunt peti ex eo quod v. c., vel ad navem reparandam, vel ad curandas merces, vel etiam ad redimenda navem simul atque onus, expensae faciendae fuerint. Cf. BENECKE, *Asf. und Bodm. Wesen.* Vol. I. pag. 88. (I). Quae-

(1) Foenus nauticum in onus contrahere jure Borusf. II. 8. §. 2380. non potest, nisi simul obliget navem.

Quaeritur autem, an hodie instrumenta navis (1) a magistro possint obligari, five ea de pignori, five in ea foenus nauticum contrahat. Sine ulla probatione illud ad hunc locum simpliciter affirmat LAPORTE. Sed omnino falsa est ejus sententia. Nam primo in art. 234. *Cod. nostr.* de solis mercibus oppignorandis fermo est; deinde cum alias, quae placerent, ex lege 1681. simpliciter describerent Codicis nostri conditores, mutata est hoc loco dispositio art. 19. *du Capit.* d. legis; denique ex iis, quae ad hunc locum de iis, quae in lege condenda acta sunt, refert LOCÉ, satis patet, dedita opera commutatam esse hanc legem.

Ut autem jure pecuniam his modis sibi comparare possit, requiritur imprimis, ut justa pecuniam mutuam sibi comparandi sit causa. Enumerantur in art. 234. tantum: reparatio navis et emptio cibariorum; verum, exempla tantum ea esse, et longe plures justas causas existere, probe intelligit, quicumque varios casus reputat, quibus magister extra ordinem ad erogandam pecuniam cogitur. E naufragio v. c. servatae sint merces, salvatores justo praemio sunt ornandi; metu, ne aqua immisfa deteriores fiant, e navi sublatae sint merces iterumque impositae, extra ordinem solvantur im-

(1) *Les appareils τὰ σκευὴ τῆς νεῆος.*

impensae; capta navis mercesque, vel ablatae tantum merces, redemptae sint, pecunia rursus opus est. Accuratus igitur, quam in laud. art. *Cod. merc.* Jure Patrio antiquo art. 19. *van Asf.* 1563. scriptum est: „*sal niemant eenich*  
 „*gelt op schipsbodem . . . . moghen nemen . . .*  
 „*ten ware dat deselve Schipper by fortune*  
 „*van der zee, vyanden of andere nootlycke*  
 „*saken . . . . in gebreke viele cet.*” Quae vero in lege 1681. art. 19. *du Capit.* habebantur verba, *necessités du bâtiment*, plenius quidem rem declarabant, quam noster codex, sed ne sic tamen omnes casus complectebantur et haec ipsa fortasse causa est, cur, iis deletis, tantum, exempli gratia, de reperanda nave et emendis cibariis actum sit. Cf. BENECKE IV. *von Bodm.* 3. pag. 436. sqq.

Quoties autem aliquam justam causam adesse putet magister navis, convocatis nautis, tabulas conficit, ex quibus ei pecunia opus esse constet; quibus signatis, tribunali mercaturae aut judicii pacificatori, si in patria degat, vel Consuli nostro aut magistratui loci, si est apud exteros, libellum supplicem offert, ut is auctoritatem pecuniam trajectitiam sibi comparandi, aut merces vendendi ipsi praestet. *C. de C.* art. 234.

§. 5. *De pecuniae trajectitiae et venditarum mercium ratione et effectu.*

Est autem hodie contractus fœnoris nautici, quo pecuniã alteri hac lege creditur, ut demum, si res, quae pignoris jure pro ea obligata est, salva in locum, de quo convenit, pervenerit, cum usuris nauticis restituatur, interea periculo creditoris trans mare vehenda.

Trajectitiam sumere pecuniam; contrahere fœnus nauticum; *geld op bodemery nemen; prendre de l'argent à la grosse, à la grosse aventure, au retour du voyage; to take money on Bottomry*, locutiones sunt in hac re propriae.

Duplicem hujus conventionis formam egregie exposuit BENECKE, *Syst. des Asf. u. Bodm. Wes.* I. 1. 9. pag. 93. sqq., prouti ea, vel

1. rei, in quam pecunia credatur, aestimatio maneat eadem; puta si, navis restaurandae vel redimendae causa, pecunia mutuatur, vel contra

2. rei pretium re vera augeatur. Quod obtinet v. c. cum, ut navis rebus necessariis infiruetur vel merces emanent, fœnus nauticum contrahitur.

Ejus distinctionis hanc esse utilitatem ostendit vir celeberr., ut, si, navis merciumve *in in-*



*tegrum restituendi* causa, pecunia trajectitia comparatur, ab ea sejungatur omnis, de avertendo simul harum impensarum periculo, cogitatio; contra vero, si, *pretium* navis vel mercium *augendi* gratia, foenus nauticum contrahitur, cum eo jungatur contractus assecurationis; atque adeo, ut, quoties illud obtineat, ab omni contributione avariarum nomine liber fit foenerator, cum vero hoc locum habeat, contributio ab eo exigatur. Ratio in promptu est, quod, eodem manente rei pretio, jam diversus a foeneratore sit, qui mutuatae quoque summae periculum suscepit, assecurator, eo vero aucto, nova simul contrahenda videatur assecuratio. Nobis usu venit haec distinctio, animadvertentibus, apud varias gentes diversas fuisse hujus contractus leges, prouti vel prioris vel alterius formae potissimum rationem habuerint. Ita in patria v. c. de eo foenore nautico maxime cogitatum est, quo rei oppignoratae pretium reficeretur tantum, minime vero augetur. Atque hinc factum est, ut legibus patriis semper solvenda fuerit integra summa mutuata, quatenus non superaret rei oppignoratae, quae salva in portum foret perducta, aestimationem (*foo verre die bodem foo veel te lande brengt*); adeoque juris axioma fuerit habitum: pecuniam trajectitiam a collatione propter avariam esse liberam (*dat bodemery geen avary draagt*). Cf. art.

12. *van Schipp.*, art. 19. *van Asfeur.* 1563. ;  
 VERWER ad d. art. 19. In Gallia vero hoc con-  
 tractu maxime de periculo adaucti navis pretii  
 in foeneratorem transferendo cogitatum esse, vel  
 ipsum eius nomen *contrat à la grosse aventure*  
 evincit. Imprimis vero illud inde efficitur, quod  
 vulgaris assecuratoris conditioni, foeneratoris  
 conditio fere aequata est, qui proinde semper  
 de avariis grossis, de avariis particularibus au-  
 tem, nisi aliud actum est, tenetur. *C. de C.*  
 art. 230. Add. EMÉRIGON, *Contr. à la Gr.*  
*princ.* Vol. II. pag. 377. et cap. I. 4. §. 3.  
 pag. 395. Sunt autem haec de utriusque juris  
*fontè* intelligenda. Nam tum apud nostrates pe-  
 cunia trajectitia, qua navis merciumque pretium  
 augetur, licet minus solita, nota tamen fuit, tum  
 vero imprimis apud Gallos saepe pecunia in  
 foenus nauticum erat credenda, quae tantummo-  
 do restituendae navi onerive interviret. Itaque  
 utriusque juris hoc vitium est, diversissimis cau-  
 sis easdem leges esse scriptas.

Possumt autem hunc contractum inire tum re-  
 rum, in quas hypotheca tribuenda est, domiti-  
 tum, ut proximo §. vidimus, saepe etiam ma-  
 gister. Sed inter hos illud interest, quod ma-  
 gister jure tantum navem atque onus potest obli-  
 gare, cum alias tam carina, quam instrumen-  
 ta, cibaria, merces etiam hoc contractu re-  
 cte obligentur, ut profus excipiendum nihil  
 sit,

fit, nisi quod in rerum natura nondum existit, quale est nautum, cujus nondum cecit dies (*fret à faire*), lucrum mercium futurum et stipendium nautarum, *C. de C.* art. 315. 318. 319.

In scripturam probationis causa redigendus est contractus, sed siue privata illa sit, siue publica, nihil interest. *C. de C.* 311.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 2390. Indicantur ea

1. summa foenori data cum usuris pro ea praestandis;

2. res hypothecae vinculo obligatae;

3. nomen navis atque magistri;

4. nomina foeneratoris, atque debitoris pecuniae creditae;

5. leges contractui adjectas circa iter et tempus, per quod constabit, et tempus, quo summa foenori data restituenda est. *C. de C.* art. 311.

Quod si tempus periculi definitum non est, pecunia trajectitia, quae ad navem pertinet, periculo creditoris est a die, quo vela data sunt, ad eum usque, quo anchora emissa est; quae vero onus spectat, a die, quo navi (vel minoribus navigiis, quibus illuc vehantur) impositae sunt merces, ad eum usque, quo in terram iterum sunt expositae. *C. de C.* art. 328.

Numquam autem summa, quam quis mutuavit, excedere potest aestimationem rei, in quam hypotheca foeneratori tribuitur. Quod si fraude

ita actum est debitoris, ad petitionem creditoris, nullus declaratur contractus, sin minus, ad summam concurrentem minuitur. *C. de C.* art. 316. et 317.

Haec quasi per indicem notanda videbantur, quoniam quam plurimi interest magistri, ut recte haec singula expediat. Nam si ex eo, quod contractum hunc non recte iniverit, vel obligationibus ex eo oriundis non satisfecerit, damnum, vel exercitores, vel mercatores passi sint, praestare illos debet indemnes. Ad quem locum maxime pertinet, si praeter necessitatem alia nave usus est, vel res oppignorata sua culpa damnum patitur. Cf. *C. de C.* art. 324.

Ad foeneratores autem quod attinet, ut vim habeat foeneris nautici contractus, quem cum magistro navis inierunt, requiritur maxime, ut magistro, *in eo loco*, in quo versatur, *ratione officii*, opus fuerit ea pecuniae summa; sed, utrum recte pecunia comparata usus sit, eamve contra in suos usus converterit, lis est exercitori agenda, *imputaturo sibi, cur talem praeposuerit*, l. 1. §. 9., l. 7. ff. *de exerc. act.* Post eas cautelas autem, quae jure nostro introducta sunt, quo rectius de pecuniae inopia constaret, minime dubium est, quin, iis adhibitis, jure pecuniam suam credant foeneratores, neque probationem metuant, navi pecunia opus non fuisse. Profecto, nisi hanc sententiam confirmaret communis opinio, qui fieret

ret umquam, ut tuto pecuniam praestarent tertii? Nam, etsi fas esset, quo tamen nescio an nihil foret ineptius, etsi liceret iis, inquam, tabularum navalium inspectionem petere, et nihil umquam in iis omitteretur, aut minus accurate conscriberetur, nullo tamen modo de omnibus ceteris sibi prospiciendi remediis, quae forte magistro supersunt, possunt judicare.

Atque sic quidem jure initi contractus haec vis est, ut, si salva in locum, quo tendebat, res oppignorata pervenit, solvenda sit pecunia credita, si vero damnum aliquod in via acciderit, quod neque culpa debitoris, neque ipsius rei vitio datum sit, illud pro rata parte creditori noceat; denique si ejusmodi acciderit calamitas, qua conditio defecisse videatur (*sinistre majeur*), pereat personalis debitoris obligatio, et tantum jus in res oppignoratas creditori supersit. C. de C. 325. 326. 330. et 327. Cf. BENECKE, *Asf. u. Bodw. Wes.* IV. *van Bodm.* 5. pag. 501.; EMÉRIGON, *Contr. à la Gr.* XI. I. §. 3.; POTHIER, *Contr. à la Gr.* n. 47. Fuit autem quaesitum ad h. art., utrum foenerator, rebus servatis, repetere tantum possit caput pecuniae creditae, an huc referendae quoque sint usurae nauticae. Dubium movent verba *le payement des SOMMES empruntées*. Sed dicendum jus hypothecae non esse concessum tantum pro ipso capite, verum etiam pro usuris, tanquam ac-

accessorio, principale debitum sequentibus; tum vero, nisi haec fuisset legislatoris sententia, abundarent in art. 331. verba: *pour son capital seulement*. Quod si in eadem rem, ex ejusmodi calamitate servaram, jus habeant foeneratores pecuniae nauticae et assecutores, singuli ratam partem habent *capitis* pecuniae creditae et summae assecratae, d. art. 331.

His igitur legibus foeneri datae pecuniae hypotheca subest, vel specialis ea res, de qua convenit, vel si univēse in carinam foenerata est pecunia, aut in merces universas, carina cum accessoriis suis omnibus, aut etiam onus. In loco domicilii vero foenerata pecunia, jus hypothecae tantum habent in eam navis partem, quae magistri est, nisi factum illud ideo fuerit, quod sunt exercitores, qui partem suam in impensas instructionis praestare recusaverint, secundum ea, quae Cap. 2. sect. 1. §. 2. diximus. *C. de C.* 320. 321. 322. privilegium autem, quo gaudent foeneratores, extinguitur, nisi foenerans intra 10. dies in publicas tabulas, apud tribunal mercaturae, contractum referri (*enregistrer*) curaverit. Apud peregrinos vero sufficit, modo auctoritatem Consulis Magistratusve impetraverit. *C. de C.* art. 312. coll. 234.

Est autem, quod prima specie mirum videatur, inter hos foeneratores cesare juris communis regulam, *potiorem esse jure, qui prior est*  
*tenet*

*tempore*, et contra, qui ultimus est foeneratorum, optimo jure gaudere. *J. D. IV. 5. art. 4.*; *Pr. Landr. II. 8. §. 2446.*; *C. de C. art. 323.* Ratio est, quod ultimi imprimis causam praestitisse videntur, cur iter consummari potuerit. ideoque ipsorum antiquorum foeneratorum interluit, iterum navi creditam esse pecuniam. Cf. *L. 5. et 6. qui potior. in pign.*; *Guidon XIX.*

Ceterum foeneratori pecuniam suam amittenti jus concessum est probationem a debitore exigendi, satis amplas res periculo creditoris navigasse. Cf. *C. de C. art. 329.*

Venditarum a magistro mercium, quo subveniatur inopiae pecuniae, quaenam vis sit, hodie definitum est lege, quum olim VALIN, EMÉRIGON et POTHIER litem de ea agerent. Nempe, quin, salva in portum perducta nave, mercatori illud pretium restituendum sit, quod pro similibus mercibus in loco exoneratae navis solvi solet, neque ex legis a. 1681., neque ex Codicis sententia, erat dubium. Cf. *Ord. 1681. art. 19. du Capit. et Code de C. 234.* Sed quid juris sit circa venditas merces, utrum sic sortem sequantur mercium deperditarum, an vero servatae intelligi debeant, a viris doctis valde quaerebatur, cum illam sententiam defenderet EMÉRIGON, *C. à la Gr. IV. 9.*; hanc vero VALIN. ad art. 14. *du fret. (C. de C. 298.)*,  
et

et POTHIER, *C. mar.* N. 34. et 72. Jure nostro autem art. 298. decisum est, ut, deperdita nave, ratio foret habenda pretii venditionis. Verum sic quoque quaeritur, an exceptio constituta fuerit a regula: exercitorem ab omni obligatione propter facta magistri liberari, simul atque navem naulumque ceserit. Qua de re ante hos annos, proxime elapsos, Amstelodami nobilem litem egerunt celeberrimi hujus urbis ICti. Profecto, ut, excipiendum esse hunc casum a communi regula, dicamus, multa faciunt. Nam

1. ait legislator in d. art. 298., rationem esse habendam pretii venditionis, *si navis perit*, adeoque, etiamsi nihil ex nave fuit servatum. Quod autem dicatur magister hujus pretii rationem habere, difficultatem parere non potest. Nam, ut magister *suo nomine* teneatur de iis, quae *jure* pro exercitoribus egit, nullam habet rationem. Solius magistri mentio est in d. art., quoniam magister quoque merces vendidisse censetur et ea, quae exercitores inter et mercatores spectant rationes, a magistris fere expediri videntur. Cf. art. 295. et 307.;
2. ex iis, quae de condenda lege acta sunt, constat legislatoris voluntas, tollendi ipsam hanc doctorum virorum controversiam. Cf. LOCRÉ ad art. 298.;
3. disertis verbis, quemadmodum nos art. sumus interpretati, eum exposuit Consil. BEGOUIN, *Exp. des mot.* 8. Sept. 1807. Cur



Cur autem, deperdita nave, verae tantum venditionis restituatur pretium, non vero, quale futurum fuisset in loco, quo tetendit navis, causa est, quod merces, etiam si venditae non fuissent, verisimiliter in locum destinatum non pervenisissent, sed cum nave periissent, adeoque ipsa illa venditione quasi ab interitu servatae sunt. Atque ita quidem habent domini ex eo, quod eorum mercibus potissimum usus sit magister, illud prae ceteris commodum, quod si naufragium acciderit, rebus suis non omnino destituuntur. Sed revera quoque vix potest cum EMÉRIGON, l. cit. hoc loco cogitari de foeneris nautici contractu inter magistrum et dominum mercium, tum, quoniam de speciali hujusmodi conditione agendi opportunitatem non habent, tum vero etiam, quia nihil omnino creditori praestatur usurarum loco, quae semper in hoc pacto vulgaribus majores sunt. Imprimis vero hisce rationibus accedit illa, quam recte, cum lex conderetur, attulit BEGOVIN, nisi legis placitum invaluisset, in eo imprimis pejoris conditionis fore mercium venditarum dominos, quam earum, quae casu perierunt, quod nullum jus habent repetendi earum aestimationem ab asecuratoribus, cum ante interitum navis periculo maritimo expositae esse desierant. Quemadmodum igitur nunc lata lex est, si navis interiit, melioris conditionis sunt, quam ii, quorum merces

assecuratae non sunt, paulo peioris autem aliquando, quam ii, qui periculum in alios aver-  
tendum curarunt.

Ceterum utroque casu nautum deducitur, quoniam illud semper debetur, si mercatoribus salva res fit. Verum enim vero cum merces, pro quibus minus pretium recipit mercator, vix integre servatae esse dicendae videantur, arg. art. 296., neque iniquum, neque juris analogiae contrarium putem, hoc casu partem tantum nauti praestari, pro rata parte peracti jam itineris. Quod cum verbis art. 298.: *en retenant également le fret, porté aux connaissances*, pugnare minime videtur.



---

## CAPUT QUARTUM.

### DE OFFICIIS MAGISTRI, CONFECTO ITINERE.

**D**uplici fere sensu iter potest dici confectum. Quod si enim obligationem magistri spectes navem domum reducendi, perfectum demum iter est si in portum, unde solvit, navem revererit, sin potissimum ejus obligationem respicias perferendi onus in locum, de quo convenit, confectum jam est, simul atque ibi pervenerit. Secundum hanc distinctionem magistri officia, quod ad exercitores attinet, in priore hujus Capitis sectione explicabimus, de ratione eum inter et mercatores, ubi in locum, quo tendit, pervenit, in posteriore acturi.

## S E C T I O P R I M A.

DE MAGISTRI OBLIGATIONIBUS ERGA  
EXERCITORES.§. I. *Officia magistri erga exercitores,  
cum in locum pactis constitutum  
ventum est.*

Quaenam, in portum appellenti in eoque ob-  
versanti, magistro attendenda sunt praesertim,  
superiore capite sect. I. §. 2. exposuimus.  
Quum vero portus iste simul locus est, quo  
perferendae sunt merces, curare etiam debet,  
ut, quod, nauli nomine, aut propter impensas  
atque avariam, praestare debent illi, quibus onus  
exhibetur, ab iis exigit. Atque hic quidem il-  
lud discrimen inter antiquam et recentiore[m] ju-  
ris nautici rationem notandum est, olim ne du-  
bitatum quidem esse, quin ad solum magistrum  
omnis haec res pertineret (*Guidon XVIII. 4.*),  
cum contra hodie, uti testatur cum aliis JACOB-  
SEN, *Seer. II. 1. pag. 159.*, et quotidie usu  
venire videmus, saepius nauli exactio solis Cor-  
respondentibus, qui dicuntur, committatur, et  
lege, ut ab his tantum pecuniam magister, qui  
sibi opus est, accipiat.

Quae autem praeterea a magistro agenda sunt,  
pendent plane ab iis, quae mandatis continen-

tur. Sicubi mandatum nihil est, neque adsunt Exercitorum Correspondentes, qui, quid de nauo jam accepto sit statuendum, et quomodo navis rursus locanda sit, definiant, ibi profecto solius magistri est videre, quid exercitoribus maxime expediat. Optimis conditionibus novum onus, aut viatores, in patriam revehendos, conducit, et lucrum, ex soluto nauo redactum, prouti exercitores, vel expreso mandato jusserint, vel ex consuetudine tacite mandasse videantur, vel litteris cambialibus ad eos remittit, vel pro eo merces emit, quas in patriam reversus majore pretio vendat. In his mercibus procurandis infitor est exercitorum, adeoque curare debet, ut de pretio, quo eas emerit, de damno, quod iis praeter suam culpam acciderit, de earum venditione, si forte, antequam domum reiectus sit, eas vendere debuit, legitimam iis facere possit fidem. Sic servat diligenter apochas, ex quibus de pretio pro iis soluto constat; circa detrimentum, quod passae sunt, atque mercium venditionem, a iudice confirmatas nauticas declarationes (*Scheepsverklaringen*), de quibus supra Cap. 3. sect. 3. §. 1. pag. 85., confici curat, ceteraque hujusmodi agit, quae deinceps justam esse exceptionem probent, quam exercitori, ad exhibendum, quod sibi debetur, agenti, objicit.

Cum vero exercitorum, uti mercatorum om-

nium, quam plurimi semper interfit notum sibi habere, magis minusve felicem factarum expeditionum eventum, quo cetera gerenda negotia amplient aut circumscribant, Codice nostro expressa lege confirmatum est, quod diligentiores magistri facere fere solebant, ut, nempe antequam rursus vela dat, misis ad exercitores tabulis, certiores eos faciat de conditione oneris, de pretio mercium eorum nomine emptarum, denique de pecunia a se mutuata, additis nominibus et domicilio foeneratorum. *C. de C.* art. 235. (1).

§. 2. *De rationibus exercitoribus reddendis, universo itinere absoluto, et exauctorando magistro.*

Omni itinere confecto, nave in portum, unde solvit, relata atque exonerata, exacto a magistro naulo, vel suscepta hac cura ab exercitoribus, solutis omnibus debitis, dimissis etiam nautis, necessario reddendae sunt rationes et praestanda pecunia reliqua, vel resarciendum magistro, si quid e sua re familiari in navis utilitatem impenderit. Post exacta singula itinera rationes reddendas jubet  
*Conf.*

(1) Borusorum lege, de quibusvis majoris momenti rebus, certiozem facere exercitorem debet. *Lib. II. §. 1504. et 1505.*

*Conf. mar.* 237., 238., 239. princ. *Lege CA-ROLI V.* 1551. art. 45. in eum, qui intra octo dies, postquam navium exegit, rationes reddere neglexisset, mulcta flor. 200. constituta est. Sed *Constit. PHILIPPI*, art. 10. *van Schipp. en Koopl.* fancitum est, ut, quoties vellent, rationes exigent exercitores. Videtur hocce placitum, naturae mandati, quod magistrum inter et exercitores intervenit, conveniens, comprobasse jus hodiernum, cum taceat de tempore, quando rationes reddendae sint, praesertim, cum etiam medio itinere magistrum dimitti permittit. Sed moris est, ut, si nulla causa sit aliud extra ordinem faciendi, exacto demum itinere exercitorum ratio reddatur. Quod si plures sunt exercitores, traduntur tabulae ei, qui rebus exercitorum administrandis est praepositus. Qui cum eas probaverit, etiam a ceteris exercitoribus confirmari eas curat, obsoleta consuetudine, cujus meminit *J. M. H.* XII. 1., qua ab ipso magistro convocandi erant omnes exercitores, ut reddendis rationibus adessent, vel mulctam solverent et, in aliud tempus dilata rationum redditione, iterum non praesentes comprobasse eas intelligerentur (1). Quae autem in his tabulis expensae relatae sunt majores summae, atque ejusmodi,

(1) *Lege Russica* soli exercitori, cui administratio navis commissa est, rationes reddere jubetur. *Cf.* art. 166.

di, de quibus, utrum revera, atque jure erogatae sint, possit dubitari, de iis apochis aliisque justis instrumentis constare debet. Deinde, quae injuria factae sunt impensae a magistro repetuntur; quae vero in impensas relatae sunt, minime soluta, locum praeterea facere possunt aliquando criminali persecutioni. *C. de C. art. 236.* Comprobatis vero tabulis et soluto eo, quod ex iis est reliquum, instrumentum magistro tribuitur, ex quo illud factum esse constat, quo ab exercitorum querelis et petitionibus, res, quae rationibus expressae sunt, spectantibus, deinceps tutus fit.

Peractis hisce consummatus intelligitur contractus locationis conductionis operarum, qui magistrum inter et exercitores interceserat. Nova igitur opus est conventione, ut magister etiam in novum iter conducatur. Habent autem exercitores ex expressa legis dispositione, etiam medio itinere, magistrum dimittendi facultatem absque praestatione indemnitate, nisi aliud actum sit, cum alias conveniat quidem operarum locationis naturae, ut dominus operas non amplius esse praestandas denuntiet, sed, praeter justam causam illud facienti, semper incumbat obligatio praestandi locatorem indemnem. *C. de C. art. 218. coll. Cod. Civ. art. 1794.* Est autem ita intelligendus ille articulus *Cod. merc.* ut, nisi aliud convenerit, omne om-



nino jus magistro denegatum intelligatur aliquid petendi, nomine damni, quod ex ea dimissione patitur. Nam, quod art. 270. nautis indemnitas concedatur, et art. 272. omnia, quae circa nautarum stipendia, eorum vulnerum curationem, atque redemptionem captivorum sancta sunt, cum omnibus navis praefectis communia dicantur, ad illud, de quo nunc quaerimus, non est referendum. Quin fere dicas ex ratione, qua sententia legislatoris in d. art. 272. expressa est, eum id maxime cavere voluisse, ne ad art. 270. etiam ea referetur. Non enim ait simpliciter omnia, quae toto illo titulo continentur, communia esse cum ceteris navis praefectis, sed accuratius definivit, etiam ad hos esse extendenda certa quaedam ejus titulo placita, de quibus omnes omnino articuli agunt, solo eo, de quo nunc dicimus, excepto. Praeterea, ut omittam, nisi haec interpretatio admittatur, e regione sibi oppositos fore art. 218. et 270., est etiam quaedam distinguendi causa. Nam, qui magistrum dimittunt, eum auctoritate privant, qui eam ab ipsis solis accepit, verum magister demum ex consensu exercitorum nautas potuit eligere; ideoque, ut videtur, melior horum dimissorum causa habetur, quam magistri.

Ceterum Borusforum lege magister, qui injuria dimittitur, indemnitas praestari debet, et Jure Danico nisi, omnibus exercitoribus consentienti-

bus, aut interveniente Judicis sententia, Magister exauctorari non potest. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1457.; *J. D.* IV. 1. art. 34.

Quandoquidem autem nihil impediat, quominus is, qui magister esse desit, maneat tamen exercitor, munere privatus magister portionem navis, quae ejus est, vendere tamen non cogitur, arg. art. *C. de C.* 219. ibique VALIN. Cf. JACOBSEN, *Seer.* I. 3. pag. 58.

Verum enimvero foret durum, si magister, qui fortasse propterea demum, quod navi ipse praefectus est, partem navis a ceteris exercitoribus emit, alienae curae rem suam committere cogeretur. Placuit propterea, exercitores, qui magistrum dimittunt, eo petente, cogi, ut secundum peritorum aestimationem ejus portionem redimant. *J. M. H.* II. 4.; *J. Dan.* IV. 1. 34.; *Ord.* 1681. art. 4. *des propriét.*; *C. de C.* art. 219. Quum vero secundum ea, quae cap. 1. §. 1. observata sunt, pro ratione portionis, quae cujusque est, in societate exercitoria plurimorum sententia semper, quid faciendum sit, decernat, plurimorum etiam suffragia jus munere suo amplius fungendi magistro adimunt. Sed quaeri potest, utrum major pars ita etiam minorem cogat ad praestandas partes in redimenda magistri portione. Respondemus nos, auctoritate instructi VALINI ad art. 219., eos tantum cogi posse ad redimendam portionem, qui munere eum  
pri-

privandum censuerunt. Nam est juris regula, neminem acquirere invitum; deinde jam satis incommodi habent ceteri exercitores, contra eorum sententiam munere privatum esse magistrum; denique quid, si propter hanc ipsam rationem, cum, licet minus aptum, tamen removendum non putarunt, quoniam res eorum non finit, ut ejusmodi summam, qualis praestanda foret, solvant. Legis verba huic interpretationi non refragantur d. art. 219. Nam additum non est, a quibus, ut sua portio redimatur, petere debeat.

## SECTIONO SECUNDA.

### DE MAGISTRI OBLIGATIONIBUS ERGA MERCATORES.

#### §. 1. *De onere exhibendo.*

Onus, in locum destinatum perductum, exhibendum est ei, cui litterae recognitionis tradendas merces affirmant, sive certae cuidam personae inscriptae sint illae, sive jus eas e nave repetendi, ei, qui litteris instructus est, tributum sit (*connaissement à ordre, au porteur.*)

An autem jus in re habeat ille, magistro quaerere nihil attinet. Sufficit, ipsum eum, qui merces transvehendas locavit, alteri litteris re-

cognitionis *jus* tribuisse, eas merces accipiendi, et magistrum iisdem litteris mercium eidem exhibendarum *obligationem* in se suscepisse. Scilicet habetur stipulatio inter duas partes, magistrum et oneratores in favorem tertii, cui inscriptae sunt recognitionis litterae, a qua ne consentientes quidem partes secundum regulas juris civilis resilire possunt, simul atque tertius frui ea voluerit. *Cod. Civ.* art. 1121. Quae quum ita sint, quidquid jubeant deinceps mercatores, nemini, nisi cui litterae recognitionis inscriptae sunt, tradendae sunt merces, nisi mercator, simul atque mandatum mutat, cancellatas etiam magistro restituat recognitionis litteras omnes. Nam sic demum metu vacat magister ne rursus onus exhibere cogatur. Cf. EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* XI. 3. §. 8. Add. *Handv. van Amst.* II. fol. 498. coll. *Jaarb.* Vol. VIII. pag. 303.; BARELS, *Adv. ov. Kooph. en Zeev.* 15. Vol. I. pag. 78. sqq., ubi verba rotae Genuens. adducuntur haecce: „ consignata enim  
 „ re alicui deferenda et confecta super hoc  
 „ apodisia, statim est acquisitum jus illi, cui  
 „ venit deferenda, ita ut non amplius possit  
 „ restitui illi, qui prius consignavit, nisi accedente consensu illius, cui facienda erat dicta  
 „ consignatio.” Neque existimandum est ita dominio vim inferri. Nam sibi imputare debet dominus, si alicui litteris recognitionis jus tribue-

buerit, suas merces a magistro repetendi. Sic, laesum esse dominium, quereretur etiam, qui, servitute, *ne prospectui officiat*, alteri concessa, in suo solo non amplius, quidcumque libuerit, aedificare possit. Quod si igitur legitima quaedam causa sit, propter quam, traditis jam litteris recognitionis personae designatae, onus exhiberi nolit dominus, puta si hic solvendo amplius non sit, venditarum ipsi mercium pretium non solvat, aliove modo conditionibus, quibus ipsi deferuntur merces, non paruerit, unicum remedium mercatori superest, ut iudicem adeat, qui causa cognita jubeat, ne magister ei onus exhibeat. Sunt autem attendenda verba illa *causa cognita*; nam, quidquid censeant alii, in patria dubitatum non est, quin simplex interveniens auctoritas iudicis, non vocato in iudicium *consignatario*, quem vocant, minime sufficiat. Ut enim sic jus quaesitum alicui auferatur, omnis juris ratio refragatur.

Quod si vero ei, cui inscriptae sunt litterae recognitionis, traditis jam mercibus, alius deinceps superveniat, aliis litteris instructus, tutus ab hujus petitionibus magister est excipiendo, pacta se jam implevisse. Nam illud ipsum perfecit, quod se effecturum promiserat. Itaque, si injuriam ita passus est harum litterarum possessor, habet actionem propterea instituendam contra earum auctorem. Sin vero duo, simul litteris

instructi, eodem tempore ad onus exhibendum agant, iudicis sententiam expectare debet magister, cuinam potissimum illud tradat, vel, si ipsi illud non vacat, potest petere, ut sibi liceat, pendente lite, merces in loco a iudice designando deponere futuri victoris periculo.

In ipso onere exhibendo observandum est magistro, tum ne merces e navi auferri patiatur, antequam de itinere suo retulerit art. 248., tum, ut illud fieri curet intra tempus conventionibus moribusve locorum definitum. Prioris placiti exceptio est, si periculum moranti immineat, vix salvae v. c. in portum perlatæ sint merces, cum navis jam aquis irruentibus resistere amplius nequeat. Fieri autem sic possit, ut, cum alias exonerationis impensæ ad mercium dominos pertineant, quoties regulariter altera res post alteram e navi auferatur, nunc, deliberatione consilii nautici, ne vocatis quidem iis, quibus merces tradendæ sunt, ad tutandam navem et onus, omnes merces, quaecumque primum sese offerant, nullo certo ordine, e nave sunt auferendæ. Meminit hujus causæ *Conf. mar.* cap. 194. atque jure, ut videtur, constituit, communicatum ita intelligi inter navem mercesque periculum. Profecto, quatenus sic majores, quam ordinariæ, exonerationis factæ sunt impensæ, vel ex nimia festinatione nonnullæ merces detrimentum habuerunt, referendæ

videntur impensae ille et detrimenta ad ejusmodi, quae ad navis merciumque universam salutem promovendam facta, vel ejus occasione data sunt, adeoque avariae grosae, quae dicitur, adconsenda sunt. Verum necessario requiritur, ut sit illud remedium etiam ipsius navis causa adhibitum. Alias enim majores impensae, servandarum suarum rerum causa in exoneranda nave factae, solos singularum mercium spectant dominos.

De tempore, intra quod exhibendum sit onus, nisi convenerit, aut vis major prohibeat, intra quatuordecim dies faciendum illud jubent *Wb. Z. art. 51. et art. 13. van Schipp. en Koopt. 1563.* Neque aliud hodieque moris esse satis constat. Parato autem magistro, qui merces exhibeat, vocari debet is, cui eae sunt tradendae. Coram hoc eove, quem sibi ad merces recipiendas substituit, admetitur magister vel adnumerat merces, quae ab eo tempore traditae videntur, arg. *L. I. §. I. ff. de peric. et comm. rei vend.* Itaque cura mercium, quas admensus est, quae ponderatae dinumerataeque sunt, dum e nave auferuntur, in navibus minoribus atque deinceps in terra habenda, antequam in horrea mercatorum perlatae sunt, ad magistrum amplius non pertinet. Cf. GROTIUS, *Intr. ad Jur. III. 20. §. 15.*; *Guidon de la mer. V. 7.*; EMÉRIGON, *Tr. des Asf. XII. 48.* Quod autem olim Am-  
ste-

stelodami habebatur placitum, *Keure 15. Sept. 1640.*, quo mercator, qui exhibendis mercibus, quae numero constant, licet vocatus, non adfuit, contentus esse debuit enumeratione Gubernatoris; hodie praesumptio quidem est, justum numerum edidisse Gubernatorem, sed nullo modo jus mercatori ademptum est probandi contrarium.

Auferuntur autem merces e nave impensis mercatorum, nautarum operis, quibus hoc nomine extraordinarium stipendium tribui solet. *Wisb. Z. 22. (1)*; *J. d'Ol. art. 10.*; *art. 7. van Schipp. en Koopl. 1563. Add. J. M. H. XI. 1.* Quod si ex vitio funalium ceterorumque instrumentorum mercibus, dum auferuntur, damnum datum sit, magister illud debet resarcire *Wb. Z. art. 22. 36. 47.*; *art. 7. van Schipp. en Koopl. 1563.*; *C. de C. art. 405.*

Ceterum si is, cui inscriptae sunt merces, eas omnino accipere recusat, judicem adire debet magister, ut deponantur in loco publico merces, atque, ut mox videbimus, ex earum venditione naulum ipsi solvatur. Cf. *C. de C. 305.*; *Pr. Landr. II. 8. §. 1719.*

§. 2.

(1) Vocatur ibi illud stipendium *windegeldt*, i. e. *geld voor het uitwinden, uithyschen der koopwaren.*



§. 2. *De exigendis a mercatoribus praestationibus et resarciendo damno ipsis dato.*

Cum superiore Capite sect. 3. §. 2. de causis, quando, propter avariam, contributionem petere possit magister et debeat, opportuno magis loco disferuimus, nunc imprimis dicendum est, quando naulum debitum sit, ut deinde, quid juris sit magistro in exigendis nauli, contributionis, atque impensarum praestationibus, exponamus.

Jure Romano ex observatione BYNKERSHOEKII *Obs. Cur. Rom.* III. 22. distinguebatur, utrum navis locata esset, an vero conductae forent merces transvehendae. Illo casu debebatur semper naulum, etiamsi citra culpam locatoris merces transvectae non sint; sed hoc casu mercium dominus, nisi sint revera transvectae, naulum solvere non tenebatur, adeoque solutum jam, conditione *causa data causa non secuta*, repetit. Cf. l. 10. princ. ff. de lege Rhod. L. 15. §. 6., l. 61. §. 1. ff. locati ibique SCHULTING et SMALLENBURG in notis.

Recentiore jure haec fere regula obtinet: sic demum naulum deberi, si merces in locum destinatum perlatae sunt, adeo ut earum, quae interierunt, nullum naulum sit solvendum, sed contra earum etiam, quae deteriores factae sunt,

no-

nomine nulla nauli imminutio admittatur. Cf. *Conf. mar.* 193. coll. 281. §. 5.; *J. M. H.* IX. 2.; *Wb. Z.* 16.; art. 3. *van Schipbr.*; VERWER ad art. 1. *van Schipl.* 1563.; *J. d'Ol.* 4.; *Guidon* VI. 2.; art. 18. et 25. *du fret.* 1681.; *C. de C.* art. 302. 309. 310.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1727. Servatis autem, atque in locum destinationis perlatis, accensentur etiam illae merces, quarum aestimatio dominis solvitur. *Conf. mar.* cap. 193.; art. 13. et 19. *du fret.* 1681.; *C. de C.* art. 298. 301. Atque ita certum est, rerum, quae interierunt, nullum naulum esse solvendum, ut etiam restituere debeat magister illud, quod ipsi jam solutum est. art. 18. *du fret.* 1681.; *C. de C.* 302. Add. l. 15. §. 6. *ff. locati*; HARMEN. II. 11. §. 21. ibique notata in *Thes. MEERM. Suppl.*; KURICKE, *Quaest. III.* 34. pag. 898. Sed solent fere, qui nauli partem prorogari (id est erogari antequam dies venerit *L. 53. ff. de pactis*) paciscuntur, simul stipulari, eam semper, quidquid acciderit, magistri fore; quo casu pacta legem dant contractui. Quoties autem praeter suam culpam certam tantum itineris partem confecit, ratam etiam nauli partem potest exigere. *Placc.* 1551. art. 40.; art. 19. et 22. *du fret.* 1681.; *C. de C.* art. 296., 303. Ceteras res, quae augendo aut comminuendo naulo locum faciunt, suis locis passim in disputatione indicavimus.

Ad viatores autem quod attinet, est fere communis doctorum virorum sententia, etiam pro iis, qui medio mari vita defuncti sunt, sive eorum corpora in terram perlata, sive prae nimia putredine in mare fuerint projecta, integrum naulum esse solvendum. Cf. STYPM. IV. 10. N. 45. pag. 508.; KURICKE ad *J. M. H.* V. 5. pag. 757.; PECKIUS, pag. 282. sq.; VALIN ad art. *Cod. merc.* 302. Profecto, cum lex de naulo pro viatoribus praestando nihil dicat, exceptionem a regula generali, in favorem mercium, quae interierunt, constitutam, ad viatores produxisse non videtur. Valet igitur nisi aliud actum esse probetur, regula PAULI ICI in *l.* 38. princ. *ff. locati*: „ qui operas suas locavit, „ totius temporis mercedem accipere debet, si „ per cum non stetit, quominus operas praestet. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1747. et 1759.

Numquam potest mercator, propter comminutam mercium aestimationem, propter majorem, quam oporteret, nauli promissionem aliasve causas quascunque, diminutionem petere nauli; quod licet speciali art. 309. non fuisset sancitum, dubium tamen non foret. Cf. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1729.

Fas autem erat mercatori juxta *Conf. mar.* 119. coll. 272., nisi aliud fuerit actum, pro naulo merces relinquere, modo, nulla inter pretiosiores atque viliores facta distinctione,

vel omnes omitteret, vel pro omnibus nulum solveret (1). Idem invaluerat Antverpiae, *Consuet.* LIV. art. 16. ; sed constitut. CAROLI 1551. art. 44. et PHILIPPI 1563. art. 9. *van Schipp. en Koopt.* ita demum haec facultas mercatori relicta est, si res, quae cadis doliisque continentur, per rimas effluentes vel excidentes, comminutae vel deteriores factae sunt ; quod juris nostri placitum minus accurate a GROTIUS, *Intr. in Jur.* III. 20. 17. ad ceteras etiam merces extensum est. Quemadmodum nos legem sumus interpretati, ea fere convenit cum eo, quod juris esse dicitur in libello Gallico *Guidon de la mer* VII. 11. Lege maritima Gallorum a. 1681. art. 25. et 26., et *Cod. merc.* art. 310. coll. art. 305., simili ratione, solae merces liquidae e cadis ita effusae, ut sint illi vel exhausti prorsus, vel fere vacuefacti, pro vectura magistro posunt relinqui, neque aliud constitutum, vel Danico *Jure* IV. 2. art. 10., vel Borusforum II. 8. §. 1730. et 1731. Injustum VALINO visum fuit hocce placitum, idem jus statuendum putanti in iis mercibus aridis, quae deteriores factae sunt in itinere, atque in

(1) Quod habetur apud LIVIUM, *Hist.* XXX. 38. mercatorem in annonae vilitate, nimis ampla frumenti vi ex Sicilia Sardiniaque Roman perlata, illud nautis pro vectura reliquisse, de eo dici non potest, utrum ex moribus, adeoque jure suo illud egerit, an vero ex conventionem particulari.

liquidis, quae effluxerunt. Sed cum POTHIER, *Contr. mar.* N. 59. et 60., distinguendi rationem summo jure ductam putamus ex eo, quod univcrse, five deteriores merces factae sint, five meliores, detrimentum aut commodum simpliciter ad dominos debet pertinere, cum earum periculum a magistro minime susceptum intelligatur, sed ei, ut jus habeat exigendi naulum, sufficiat, si munere eas in locum, de quo convenit, vehendi recte functus sit; liquidae vero res per doliorum rimas effusae, adeo ut vel nihil vel certe minimum tantum supersit, non *deteriores* factae sunt simpliciter, sed omnino *interiisse* videntur, adeoque ex regula, quam supra posuimus, rerum servatarum tantum deberi naulum, omne jus exigendi aliquod naulum prorsus evanescit. Nam observanda est distinctio inter conductionem *doliorum* transvehendorum, quae sunt fortasse inania, et *vini oleive* doliis atque cadis transmittendi. Nempe tunc res principalis vinum est vel oleum, quae interire potest, licet accesoriae res, quae cadi sunt et dolia, salvae manserint, quemadmodum aedificium periisse dicimus, etiam salvo tigno. Quae quum ita sint, sequitur, mercatorem minime esse obligatum, ut vel omnes res suas liquidas vel eas saltem, quae iisdem litteris recognitionis instructae sunt, magistro universas pro naulo omittat, vel pro omnibus naulum praestet, verum

tum eum recte alia recipere, alia vero ipsi relinquere. Est enim naulum, etsi aliquando *per aversionem* pro multis mercibus simul constituitur, res *dividua*, quod aeque per singulas merces potest dispertiri, atque illud aliquando per varias itineris partes distributum supra vidimus. Quod si culpa magistri vel mercatoris res e doliis effusa sit, culpa nocet auctori, ideoque dubium plane non est, quin magister contra mercatorem, vel hic contra magistrum, actionem habeat, ad id ut indemnis fervetur.

Ceterum quod, si fidem habeamus VALINO ad d. art. 310., a mercatoribus, rem suam minoris pretii, quam summam pro vectura praestandam ducentibus, solebat effici, ut merces simpliciter non acciperent, statuentibus plerisque ICITIS, magistrum eos non posse cogere, ut res suas recipere, hodie iis amplius nihil expediret. Nam, cum lege 1681. art. 17. *du fret.* eo, qui merces accipere debuisset, id nolente, potestas tantum facta fuerit magistro eas, quatenus opus esset, ex auctoritate iudicis vendendi; et ex pretio sibi pro vectura solvendi, est additum huic placito art. 305. *Cod. merc.* magistrum, etiamsi merces venditae nauli aestimationem non efficiant, etiam pro reliquo mercatorem sibi habere obligatum.

Videtur autem d. art. satis superque esse definitum, mercatorem merces aridas et liquidas

illas, de quibus affirmari non potest eas inter-  
 iisse, pro naulo numquam posse omittere, et  
 fuit tamen LOCRÉ, qui ad art. 310. observaret,  
 ex verbis *ne peut abandonner les marchandises*  
*deteriorées* necessario sequi, posse igitur  
 mercatorem pro vectura omittere merces non  
 deteriores. Verum enimvero, si nulla juris ra-  
 tio merces deteriores pro naulo omitti finat,  
 multo minus profecto admittenda est sententia,  
 ex qua merces, quae integrae sunt, in solutio-  
 nem possint dari; deinde juris communis regula  
 est: *aliud pro alio invito creditore solvi non*  
*potest.* Cf. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.; pr.  
*Inst. quib. mod. toll. oblig.*; l. 16. et 17.  
*Cod. de solut. et liber.* (1) *Cod. Civ.* 1243.,  
 a qua regula ut casus excipiatur, diserte de eo  
 debet constare; tertio foret quam maxime inep-  
 tum, ut pro vectura merces relinqui permit-  
 teret legislator, et fineret nihilominus, ut ad-  
 huc in complementum pretii agatur, vid. art.  
 305.; denique verum non est illud necessario  
 ex verbis articuli 310. effici. Nam, cum de  
 generali regula, servatarum mercium integrum  
 naulum esse praestandum, neque aliud pro alio  
 es-

(1) Ex GAI, *Inst. Ver. Comm.* III. §. 168. notum est  
 inter Sabinianos et Proculejanos disputatum fuisse, utrum,  
 etiam consentiente creditore alio pro alio soluto, ipso  
 jure, an demum exceptione doli mali, tutus sit debitor.

esse solvendum, nulla fuisset dubitatio, id tantum quaesitum fuit, utrum excipiendus fortasse esset casus, quo propter detrimentum, quod passae essent merces, vix aequum videretur, ut pro *deterioribus* naulum praestaretur, de quo propter *integras* merces convenerat. Ratio vero decidendi in favorem magistri ea est, quam diximus, modo non perierint merces, damnum ad hunc minime pertinere, sed solum earum spectare dominum.

Debet autem magister, simul atque onus jus habentibus tradat, naulum petere cum omnibus iis, quae mercium causa praestanda sunt. Quod si nauli nomine actionem nullam instituat, annali praescriptione jus illud exigendi amittit. *C. de C. art. 433.* Sin vero simpliciter naulum receperit sine declaratione, intra 24. horas facienda, et legitime cum iis, quorum interest, communicanda (*protestation signifée*), se ita non omne illud, quod sibi debetur, accepisse, tacite concessisse videtur, se nihil habere amplius, quod eo nomine petat. Quin ipsa haec declaratio nullius est momenti, nisi intra mensem actionem instituat. Est autem illud, quod praeter naulum a mercatoribus est petendum, non tantum contributio propter avariam grossam, cujus potissimum rationem habet art. 435., sed praeterea etiam quidquid, ratione itineris confecti, ab iis potest exigi, quale est v. g.

fi



fi ad curandas merces medio itinere solvi aliquid debuit.

Habebat magister ad consequenda haecce olim, merces in sua nave retinendi, donec ea forent soluta, facultatem, quam minus recte cum jure pignoris confundit PECKERUS, pag. 203. Cf. L. 2. pr. ff. de leg. Rh.; Conf. mar. 81. extr. 267. 272.; Wb. Z. 21. 46. 57.; art. 13. van Schipp. en Koopt.; art. 19. van Schipl. 1563. et Pr. Landr. II. 8. §. 1722. sqq. Add. R. Seer. 137. Sed lege Gallica a. 1681. art. 23. du fret. et Cod. merc. art. 306. illud ipsi ademptum est, optima ratione, quoniam injustum visum fuit, mercatorem jam naulum praestare, et propter avariam, quo servatae dicantur merces, contribuere, antequam recte inquirere potuit, utrum revera merces salvas habeat. Ne autem sic magister damnum sentiat ex eo, quod mala fide agat consignatarius, potest, quoties velit, petere, ut merces apud sequestrum deponantur, donec naulum sit solutum. art. 306. Cf. Pr. Landr. II. 8. §. 1719. Sed si magister hoc jure forte usus non est, non facile tamen propterea culpa poterit argui ab exercitoribus, licet male hoc ipsis ceserit. Nam bona fides, quae, cum alias semper, tum imprimis in rebus ad mercaturam pertinentibus, vim debet exercere et quasi dominari, vix patitur, ut etiam propter leviolem suspicionem statim

ad hocce remedium confugiat, quod praeterea etiam impensis ab utraque parte locum facit. In securitatem exigendarum praestationum privilegium habet magister prae ceteris creditoribus quibuscumque, in ipsas merces, per dies quatuordecim, a quo sunt traditae, modo sint adhuc in debitoris dominio, juxta juris axioma *les meubles n'ont pas de suite étant en tierce main* Cf. art. 24. du fret. 1681.; C. de C. 307. et 308. Quod privilegium ita exponit VALIN, ut in eas merces universas, quae singulis litteris recognitionis continentur, privilegium magister habeat, ad consequendum omne illud, quod pro iis est solvendum, sine distinctione inter singulas mercium species; sed, ut eo numquam possit uti ut nanciscatur ea, quae praestanda veniunt pro aliis mercibus, quae, licet ab eodem miscae sint, atque eidem sint tradendae, diversis ejusmodi litteris sunt instructae (1). Sicubi autem mos est demum post alicujus temporis lapsum navulum solvendi, post elapsos v. g. tres menses, uti in nonnullis locis moris esse ad art. 306. affirmat VALIN, ibi omnis hujus privilegii evanescit et ad nihilum reducitur vis, unde me-

ri-

(1) Jure Borussico privilegium illud contra debitorem et contra tertios in sex dies, a quo tempore e nave demtae sunt merces, conceditur, nisi tertius pretium solvit. Cf. Lib. II. §. 1725. et 1726.

rito efficias, cavendum esse judici, ne nimis facile hujusmodi consuetudinem existere sibi persuadeat, et ut diligenter semper distinguat, inter vulgarem aliquam consuetudinem, ex qua mercatoribus saepius dilatio quaedam solvendi a *volente* conceditur, et jus aliquod non scriptum hinc oriundum, quo etiam *invitus* magister a iudice eam concedere cogitur. Posterior haecce, utpote juri scripto contraria, rebus iudicatis, aliisque similibus argumentis, diligentissime foret probanda.

Quod si vero damnum, ex vitio navis, vel magistri culpa, datum, ab ipso resarciri velint mercatores, intra 24. horas postquam merces acceperunt, de eo debent queri (*protester*), atque ipsam actionem intra mensem instituere, ne a limine iudicii repellantur. *C. de C. art. 435. et 436.* Ipsum vero jus, ex vi litterarum recognitionis, mercium exhibitionem exigendi, lapsu unius anni post navis adventum praescribitur. *C. de C. art. 433.*



---

## CAPUT QUINTUM.

DE JURIS VINCULO MAGISTRUM INTER ET NAUTAS, EIQUE CONCESSA NONNUMQUAM JUDICIS MAGISTRATUSQUE PARTES AGENDI FACULTATE.

Quae exercitores atque mercatores tangunt, pro viribus expositae sunt Magistri obligationes, atque patefactum proinde, quomodo, postquam operas exercitoribus locaverit, horum mandatis instructus, res mercatorum curare debeat. Superest ut hoc capite, tum rationem indicemus pacti cum nautis initi, atque jurium et obligationum hinc oriundorum, tum vero ut exponamus etiam potestatem in omnes, qui in nave degunt, ab ipso legislatore, misa omnium partium conventionem, ei concessam, atque obligationem Magistratus personam referendi, si quis nascatur vitave defungatur, vel condatur etiam testamentum. Quarum rerum, uti haec minime referendae ad res exercitorum vel mercatorum  
fa-

facile intelliguntur, ita videntur etiam eae, quae de juris-vinculo inter magistrum et nautas agunt, propterea imprimis ad particulare hoc caput rejicienda, ne nimis a se invicem divellantur, quas arctissimo vinculo inter se cohaerere diximus, obligationes magistri erga exercitores atque mercatores, quas propterea alias post alias exposuimus.

## SECTIO PRIMA.

### RATIO MAGISTRUM INTER ET NAUTAS, QUAE EX PACTO ORITUR.

§. I. *De magistri in conducendis nautis auctoritate, et contractu, quem cum iis inire solet.*

Curam omnia ea procurandi, quae ad navis instructionem pertinent, non nisi ex voluntate exercitorum ad magistrum pertinere, diximus supra Cap. II. sect. 1. §. 2. Posit alicui propterea videri ad solos exercitores, nisi aliud placuerit, pertinere eadem ratione nautarum conductio. Verum enimvero, cum cetera navis instructione conductionem nautarum conferenti, facile erit persuasum, majora longe atque potiora esse momenta, cur haec cura magistro  
com-

committatur, quam cur altera apud exercitores amplius non sit. Etenim, si minus apta ab exercitoribus comparata sint instrumenta, illud videre potest magister, et vel negare, quominus iter suscipiat, vel, ut diximus, ea medio itinere reficere aut supplere, sed non ita facile personam nautarum, ab exercitoribus conductorum, exploratam habet, ut vel jure iter non suscipiat, vel in medio itinere, antequam in locum deveniat, ubi hoc facere amplius non potest, eos ex justa causa dimittat, aliosque conducatur. Deinde imprimis sua interest, ut quam maxime idonei conducantur, cum sibi cura navis merciumque tributa est, in quibus curandis videat ipse oportet, quorum opera velit uti. Denique facilius etiam saepe idoneos conducit, et multos, qui apti sint, vel maxime inepti, ex prioribus itineribus, saepe novit. Itaque non magistro tantum, verum etiam exercitoribus adeo ipsis expedit, ut nautarum conducendorum cura ad illum ex lege pertineat, retenta tantum his potestate prohibendi, quominus certos nautas, a quibus sibi metuent, recipiat.

De hac facultate conducendorum nautarum magistro concedenda, omnes leges antiquiores consentiunt. Cf. *Cons. mar.* 55. 60. et 195.; CLAIRAC ad *Jug. d'Oler.* XIII. 9.; *Guidon de la mer* XV. 2.; *J. M. H.* III. 2.; art. 1. *van Schipl.* 1563., quibuscum conveniunt hodieque  
le-

leges *Daniae* IV. 1. 1.; *Borussiae* II. 8. §. 1535. et *Rusforum* art. 22. Sed jure Gallico consensus requiritur exercitorum, si in loco eorum domicilii versatur *Ord.* 1681. art. 5. *du Capit. C. de C.* art. 223. quibus vero persuasum est, magistrum aptiorem esse, qui nautas idoneos legat, hanc ipsi curam facile relinquunt exercitores. Quod si fecerint illud et ineptos legerit, eos, quorum interest, indemnes debet praestare, arg. l. 16. §. 1. *ff. de rei vind.* l. 27. §. 9. et 11. *ff. ad leg. Aquil.* Cf. *Conf. mar.* cap. 77. et 195.; CLAIRAC ad *J. d'O.* art. 13. N. 9., et *Jurisd. de la mar.* art. 62.; KURICKE ad *J. M. H.* III. 19. pag. 724. Idem dicendum est, si non justo numero adsint nautae. Cf. KURICKE ad *J. M. H.* III. 2.; ROCCUS *de nav. et naut.* not. 62.; EMÉRIGON *des Asf.* XII. 4. Vol. I. pag. 376. Atque haec quidem tota disputatio ad nautas ordinarios pertinet. Extra ordinem vero quando conducendi videantur, qui vada explorantes navem in portum et per loca periculosa perducant salvam, Cap. 3. sect. I. §. 1. fuit expositum. Hic vero contractus, qui inter magistrum et nautas intercedit, est fere similis ei, quem cum magistro exercitores ineunt. Est *locatio operarum*. Promittunt nautae se magistro praestituros esse operas, ut navis cum onere salva iter perficiat, quemadmodum magister pollicitus est, se exe-

cu-

cuturum, quae circa eandem hanc expeditionem mandaverint exercitores. Sic ratio facile patet, cur ea, quae de stipendio, ex brevioris vel productione itinere aucto vel imminuto, Cap. I. §. 3. diximus, etiam de nautarum stipendio sint intelligenda. Imprimis vero inter magistri atque nautarum conductionem hoc interesse videtur, quod non eandem peritiam profiteantur, adeoque tantum de *levi* culpa teneantur. Lex scripta non definit, quatenam culpa ab ipsis sit praestanda, a magistro vero ut cap. I. §. 3. diximus, *levisstimmam* exigit, itaque dubium non videtur, quin vulgarem, id est *levem*, intellexerit. Accipit autem pactum hocce hodie demum vim, a quo tempore instrumentum illud, quo nautarum nomina exhibentur (1), confectum est. Itaque ante eum diem nautas impune dimittere possunt magistri *C. de C.* art. 270.; sed, eadem ratione, neque nautis ante eum diem negari potest jus a promissis refiliendi (2). Ex iisdem tabulis potissimum de pacti legibus constat, licet tamen et aliae probationes prohibita non sint. *C. de C.* art. 250. Est enim moris, ut certo quodam ab eo, qui navis curam habent, definiendo die conveniant ii omnes, qui operas  
na-

(1) *De monsterringrol, rôle d'équipage.*

(2) Olim cum singulis initum pactum statim etiam contra singulos vim habebat et efficaciam.



navi praestituri sunt, ut a magistro lustrentur (1). Conficitur ejus rei instrumentum, publica auctoritate deinceps confirmandum, quo nautarum nomina exhibentur, addita mercede, pro qua singuli conducti sunt. Atque ita hodie, secus atque olim, diversum fere non est album hocce nautarum a tabulis locationis - conductionis singulorum nautarum, de quibus conf. JACOBSEN I. 3. 1. pag. 181. sqq. Quod si vero nauta contendat, alius generis operas sibi esse praestandas, vel majus aliquod stipendium ipsi deberi, aliis probationibus, quod dicit verum esse, debet ostendere. Videntur autem conducti nautae in contractu personam exercitorum magis respexisse, quam magistri, qui demum ab his potestatem accipit et horum nomine cum nautis agit. Itaque, mutato magistro, nulla vis infertur nautarum obligationibus, quae cessant demum, si vendatur navis adeoque alii ejus domini existant. Cf. *Placc.* 1551. art. 20. et 21.; art. 11. et 12. *van Schipl.* 1563. Cum autem, confecto itinere, solutus sit contractus magistrum inter et nautas initus, etiam summo stipendio promisso magister cogere nautas non potest, ut novum iter inviti fuscipiant. In commodum navigationis ab hac regula medio aevo fere notabatur exceptio, cum magister in eo loco ver-

fa-

(1) Gemonsterd worden.

faretur, ubi alios nautas conducere non potuisset, quo casu simili stipendio aut etiam adaucto eo, si praecipuis nautis illud aequum esse videretur, cogebat nautas ad novum iter suscipiendum. *Conf. mar. cap. 147.*; CLAIRAC; *Jurisd. de la mar. art. 18. N. 3.*

§. 2. *De juribus et obligationibus erga nautas ex vi ejus contractus.*

Herum suum hoc contractu magistrum agnoscunt nautae, et operas ipsi suas in omnibus, quae ad ejus officium pertinent, praestare promittunt. *Pr. Landr. II. 8. §. 1535.* Neque consistunt proinde eorum operae in curandis tantum iis, quae ad navem pertinent, in regendis velis, flectendis gubernaculis, emittendis anchoris, ceteris, verum recte etiam exigit magister, ut omnia faciant ea, quae ad mercium utilitatem pertinent, ita tamen, ut, quoties extraordinaria officia praestent, extraordinarium etiam stipendium habeant. Cf. *Wb. Z. 15. 45. 46. 47.*; art. 19. *van Schipl. 1563.*; *J. M. H. III. 19.*; *Pr. Landr. II. 8. §. 1599.*, quibus legibus accuratius definitum est, quaenam tandem sint illa officia nautarum, quae huc sunt referenda. Nostra vero lege hoc tantum art. 261. (art. 9. *de l'eng. 1681.*) constitutum est, ut, five in univrsum iter, five in singulas menses, five pro

pro parte nauli conducti forent nautae, solvendum sit is semper salarium pro singulis diebus, quas in naufragio servandis navis tabulis mercibusque impendissent. Est scilicet haec exceptio, tum a regula, quam cap. 1. §. 4. explicavimus, etiam ad stipendium solvendum cogi amplius non posse exercitorem, si navis tota perit; tum vero etiam a regula, quam cap. 4. sect. 2. §. 2. sumus interpretati, nauli nomine solvendum nihil esse, mercibus in itinere deperditis. Sunt hae impensae aequae in commodum exercitorum, atque in favorem mercatorum erogatae, adeoque ab utrisque praestandae. Sed quanam, praeter hunc casum, locum possint facere solvendo extraordinario stipendio, jure non scripto est definiendum, cum de eo prorsus taceat lex nostra.

Officium magistri consistit imprimis in tuendis nautis, iisque alimenta praestandis atque ceteris omnibus, quaecumque iis ex pactis debeantur. Quod si villioris generis cibaria iis praestiterit, nautae, sin vero lautiores epulas, iis administraverit, habent exercitores, quod querantur. Etiam haec ad ea pertinent, quae hodie ex consuetudine sola sunt dijudicanda, olim ab ipsa lege definita. Praecepta circa hanc rem reperies in *Conf. mar.* cap. 142. et 143.; *Jure Wisb.* art. 29.; lege CAROLI a. 1551. art. 19.; PHILIPPI art. 10. *van Schipl.* Item in lege CATHARINAE art. 33. ad 36. 103. et 104.

Postquam autem semel confectum est instrumentum, quo conductus nauta in nautarum numerum redactus est, ante iter absolutum, nisi ex justa causa et legitima ratione, dimitti non potest. Itaque si magister illud nihilominus fecerit, omne damnum datum debet resarcire. Poterat autem olim nauta ex justa causa ubique locorum dimitti. Cf. *Conf. mar.* 122. 160.; CLAIRAC ad *J. d'Ol.* art. 5. N. 21. et 25., art. 6. N. 1., art. 13. N. 2. 3. et 4.; *Wb. Z.* 18. 26. et 43.; art. 16. *van Schipl.* 1563. *Jur. mar. Hansf.* requirebatur tantum, ut terra non prorsus esset inhabitata. *J. M. H.* III. 8., IV. 5. ibique KURICKE, pag. 710. Legibus Russicis, causa a Russico magistratu cognita, in terra peregrina dimitti potest, art. 31. In Gallia vero, cum juxta legem nauticam anni 1681. nautam ex justa causa dimittere magistro permisum videbatur, arg. art. 10. *de l'eng.*; deinceps illud, medio itinere, fuit vetitum, lege anni 1728. art. 1., de qua vid. EMÉRIGON, *des asf.* XII. 5. Vol. 1. pag. 379. Similiter art. 270. *Cod. merc.* fancitum, ut in terra peregrina nautas dimittere non posset magister, unde patet, qui hodie illud fecerit magister, omne damnum, quod ex eo ceperit nauta, resarcire debere. Quando autem praeter justam causam dimissi sunt nautae, definiere pleraeque leges, quaenam summa indemnitas nomine prae-

praestanda sit. Qua in re distinguere solebant, utrum susceptum jam iter fuerit necne, et, si jam fuerit susceptum, utrum in habitu vel in reddito dimissus sit. Cf. *Conf. mar.* 122. 123. 124. 264.; *J. M. H.* III. 7., IV. 5.; *Wb. Z.* 3. 26. et 44.; art. 3. *van Schipsk. en br.* 1563. Atque jure novo quidem sancitum est, ut, nondum incepto itinere, id est, nave portum, ubi est onerata, nondum egressa, tertiam stipendii partem, suscepto vero eo, omne stipendium atque praeterea omnes impensas necessarias ad repetendum locum, unde vela data sunt, meruisset nauta. *C. de C.* art. 270. (1). Quod autem in dict. art. additum est, magistrum hujusmodi impensas ab exercitoribus non posse repetere, ulro intelligitur, cum universae eas, quae ex sua culpa oriundae sunt, ipse solvere debeat. Nihil tamen hoc impedit, quominus eadem, qua ceteris in rebus, ratione, exercitoriam actionem habeant nautae. Quapropter in d. art. 270. verbis illis, *le capitaine ne peut dans aucun des cas çà dessus répéter le montant de l'indemnité contre les propriétaires* facile carere poteramus (2). — Quum vero eli-

(1) Convenit lex Borussiae, nisi quod ante iter inchoatum, pro tertia, dimidiam mercedis partem solvi jubet. Cf. *Lib. II.* 8. §. 1552. et 1553.

(2) Inveniebantur tamen eadem in lege naut. 2. 1681. art. 10. *de l'eng.* et in *Jure mar. Hansf.* IV. 5.

eligatur nauta a magistro quidem, sed ex consensu exercitorum praesentium, possit quis putare simili ratione praesentium etiam consensum requiri in nautis exauctorandis, quam sententiam tuetur VALINUS ad *Ord.* 1681. art. 10. *de l'eng.* Verum hoc modo magistrum cogere possent exercitores ad retinendum nautam, qui ei non placet, quod repugnat regulae propositae, magistro jus competere nautas legendi. Itaque ex nostra sententia cogere eum tantum possunt, ut curet, justum numerum nautarum semper adesse, et neminem nautam constituat, nisi quem ipsi probent. Quemadmodum autem magister retinere debet nautas, ita neque illi praestationem promissorum detrudere ullo modo possunt, et, semel confecto instrumento, quo familia nautica exhibetur, ne duplicato quidem stipendio restituto, invito conductore, liberari possunt. Olim tamen secus erat et, cum nonnullae causae essent constitutae, in quibus ipso jure a contractu liberati censerentur nautae (*Wb. Z.* 63. et 64.; art. 14. *van Schipl.* 1563.) (1), jure Wisbicensi, patriis legibus deinceps confirmato, ab omni operas praestandi obligatione liberati erant

(1) Jure Danico IV. 1. art. 37. et Borusico II. 8. §. 1548. ad 1551. hodieque exauctorari debet nauta, qui ipse magister fit, item jure Borusorum, qui nuptias contracturus est §. 1551., modo alium sibi substituat.

erant nautae, modo, quod stipendii nomine accepissent, restituerent et, si operas desererent ante susceptum iter, insuper partem dimidiam, sin vero medio itinere, totam eam pecuniae summam, quae ipsis exacto itinere solvenda foret, praestarent *Wb. Z. art. 1. 44. 72.; art. 13. van Schipl. 1563. Add. J. M. H. IV. 24.*

Aegrotante autem nauta captivo eo ab hostibus, distinguendum est maxime, utrum aeger factus et in servitutem redactus sit, dum navi operabatur, vel alia quacumque opportunitate. Nempe, *qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas praestet. Et servire nobis intelliguntur etiam, quos curamus aegros; qui cupientes servire propter adversam valetudinem impediuntur. L. 38. ff. locati conducti. L. 4. §. 5. ff. de statu liberis.* De sanandis morbis nautarum etiam, ubi opus est, extra navem, et stipendio propterea non amittendo statuerunt *Wb. Z. 18. 19 et 43.; J. d'Ol. 6. et 27.; Placc. 1551. art. 27.; art. 16. van Schipl. 1563.; J. M. H. XIV. 2.; Ord. 1681. art. 11. de l'eng.; C. de C. art. 262.; nisi sua culpa aegri sint facti, quo casu, ut navem relinquunt, cogi possunt, et alii in eorum locum possunt conduci dd. 11. Quod si contra hostes vel piratas pugnans vulneratus est, cum haec operae sint in navis aequae atque in*

mercium commodum praestitae. communibus sumtibus sanatur. Cf. *Placc.* 1551. art. 28.; art. 2. *van Schipbr.* 1563.; VINNIUS ad PECKIUM, pag. 213. nota *d.*; *Ord.* 1681. art. 11. *de l'eng.*; *C. de C.* 263. et 400. N. 6. et quae diximus supra cap. 3. sect. 3. §. 2. pag. 97. Cf. etiam *J. D.* IV. 1. art. 31.; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1554. sqq.; *R. Seer.* art. 107. Quemadmodum autem aeger, ita etiam captus nauta, si, dum in commodum navis operabatur, sive terra sive mari deprehensus sit, stipendium non amittit et jus habet petendi, ut indemnus habeatur. Cf. *Conf. mar.* 179. coll. 144. Sed diligenter distingui debet hicce casus ab eo, quum in nave degens et nullum extraordinarium periculum patiens, ab hoste navem invadente comprehenditur. Hoc casu ipse sua fert fata et operarum tantum, quas praestitit, mercedem meruit. *Ord.* 1681. art. 16. *des eng. C. de C.* art. 266. et 267. In altero vero casu, prouti vel in solius navis, vel etiam in oneris impositi, utilitatem operas praestitit, a magistro et exercitoribus, vel ab iis et mercium dominis indemnus servandus est. Cum autem difficile est justo pretio hanc indemnitatem aestimare, statutum fuit jure nostro, ut eo nomine 600. *franci* captivo nautae solverentur. *C. de C.* 267. 268. 269. cum olim tantum dimidia fere ejus summae pars nautae tribueretur. *Ord.* 1681. art. 17.  
de



*de l'eng.* Est autem illa summa secundum leges, de captivorum redemptione constituendas, adhibenda d. art. 269.

Addendum autem his, quae de magistri officio erga nautas diximus, quale stipendium tribuendum sit eorum successoribus vel jus habentibus, si vita defuncti sunt. Itaque qui diem obiit, dum navem defendere conatur, semper universam operarum mercedem totius itineris meruit, etiam si vix quidem susceptum iter est, modo navis salva iter absolvat. Cf. *Placc.* 1551. art. 28.; *Ord.* 1681. art. 15. *de l'eng.*; *C. de C.* art. 265. extr. Hoc autem casu non dubito, quin ea pars mercedis, quae solvenda est propterea, quod in defendendis nave mercibusque interfectus sit, praeter eam, quam, si mortem naturalem obiisset, ad heredes transmisisset, communibus impensis, navis merciumque contributione, solvenda sit. Postulat illud juris analogia, cum *C. de C.* art. 26. fancivit legislator, ut, qui in defensione navis merciumque vulneratus esset, sumtibus communibus foret sanandus; nullam aliam ob causam, quam quoniam aequum videbatur, hoc damnum ab iisdem resarciri, qui inde commodum essent adepti. Cf. art. 268. Prudenter jure patrio antiquo huius casus omissus non est; sed fancitum, ut, *quasi avaria grossa*, operarum merces et impensae a nave mercibusque forent repetendae. Cf. *Placc.* 1551.

art. 28. *Add. Disf. nostr.* cap. 3. sect. 3. §. 2.  
pag. 97.

Eorum vero, qui mortem naturalem subierunt, qui in menses singulas mercedem stipulatus est, ratam partem stipendii, ad diem usque mortis computati, ad heredes transmittit. *Conf. mar.* 127.; *Ord.* 1681. art. 13. *d. tit.*; *C. de C.* art. 265. Qui vero in universum iter conductus est, tantum dimidiam partem, si vita defungatur in abitu, aut dum navis adhuc in loco, quo tendit, versatur, totam vero, si in reditu moriatur, meruit. Cf. *Conf. mar.* cap. 126.; *Placc.* 1551. art. 29.; art. 17. *van Schipl.* 1563.; *Ord.* 1681. art. 14. *de l'eng.*; *C. de C.* art. 265. Denique qui pro certa quadam lucri parte praestat operas, in eam jus quaesitum habuisse videtur, a quo tempore iter susceptum est. *Ord.* 1681. art. 14. *de l'eng.*; *C. de C.* 265. quibus convenit Juris Romani ratio, cum, auctore PAULO in l. 65. §. 9. *ff. pro socio*, „quod „ ex re communi *postea* quaesitum est, . . . „ tam ab herede, quam heredi” praestandum sit. *Add. Pr. Landr.* II. 8. §. 1558. *sqq.*

## S E C T I O S E C U N D A.

VINCULUM JURIS, QUOD MAGISTRUM INTER  
 EOSQUE, QUI IN NAVE DEGUNT, LEGE  
 MORIBUSQUE CONSTITUTUM EST.

§. I. *Quatenus jus puniendi eos, qui in  
 nave degunt, magistro concessum  
 intelligatur.*

Ad summam reip. pertinere mercaturam im-  
 primis maritimam saepius observatum est. Hinc  
 etiam factum est, ut singulis navium magistris  
 concessa fuerit variis legibus facultas Judicis  
 in nave partes agendi. Nam, quemadmodum,  
 quantumvis parva, civitas consistere nequit, nisi  
 justitia recte administretur, sic etiam vel aptis-  
 simus et peritissimus quisque magister officio  
 suo regendi navem, merces tuendi, easque in  
 locum propositum salvas perducendi, non posset  
 fungi, nisi ejus jurisdictioni subjecti fuissent  
 nautae, quoties ordinarius judex conveniri non  
 posset. Dicimus autem *legibus* datam fuisse  
 magistro hanc potestatem. Nam ex solo con-  
 tractu cum nautis iniro sequitur quidem, ma-  
 gistri dicto obtemperandum esse a nautis, sed  
 ei factam fuisse potestatem eos puniendi non  
 potest intelligi, cum illud ad jus publicum per-  
 ti-

tineat. Deinde non in solos nautas ea potestas exercetur, sed in omnes omnino, qui in nave degunt. Jus maritimum recentioris aevi ab antiquiore jure nautico hoc nomine diversum fuisse, quisque facile suspicatur, qui observat, veteres, cum magnam potestatem magistro concedendam viderant, etiam ceteris in rebus ingentem plane ei concessisse, quam recentiores prudenter ad eam redegerunt, quam postulabat ipsa necessitas et natura ejus muneris (1). Itaque, cum non semper copia fit adeundi judicem, magistro jus concessum est propter minora delicta, propter nautarum ebrietatem, propter negatum obsequium, propter injurias, eos ex praecipuorum nautarum sententia puniendi. In majoribus vero criminibus aservare debet maleficos, donec in patriam redux eos judici tradat, vel in terra peregrina eos curae Consulis patrii committat. Cf. *J. M. H.* III. 9. 10. et 11. ibique KURICKE; CLAIRAC, *Jug. d'Ol.* art. 12. N. 6.; *Placc.* 1551. art. 25.

et

(1) Sic juxta *Conf. mar.* 145. 195, non modo ipse vi poterat magister nautae operis, sed alteri etiam, cui nauta ejusmodi peritiae opus esset, quem alias sibi non posset comparare, invitum illum poterat concedere, modo hic non cogere apud novum dominum operas insolitas praestare. Hodie vero secus est, et magister tantum ea potest exigere, quae ad praestationes operarum, quas conduxit, pertineant.

et 26.; art. 5. *van Schipshk. en br.* 1563.; *Ord.* 1681. art. 22. et 23. *du capit.*; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1604. sqq.; *R. Scer.* art. 28. ad 30., 100. et 106.; MERLIN, *Rép.* in voce *Capit. de vaisf. march.* et in voce *cale.* Non dubium est, licet hodierni juris nullum disertum legis placitum inveniatur, quin idem hoc hodieque obtineat. Nempe primo non propterea in Corpore juris hodierni omisa sunt antiqua ea placita, ut abrogarentur, verum quoniam in separato Codice videbantur exponenda. BÉGOUEN, *exposé des motifs*, 8. Sept. 1807.; deinde tantum valent Codicis mercaturae leges in iis rebus, de quibus statuit ille Codex. *Loi fix. l'ép. à laq. le C. de C. sera exéc.* 15. Sept. 1807.; denique omne jus aservandi maleficos in vinculis, donec in patriam redux est magister, ei denegare, est omnem evertere exercitorum atque mercatorum securitatem, est committere eorum salutem arbitrio maleficorum (1); concedere vero illud jus, sed etiam propter minora delicta eos detinendos potius semper, quam levissimam poenam de iis aliquando sumendam asfirmare, saepe est graviolem poenam admittere, ut

(1) Genus hominum haud optimis moribus vulgo habentur nauiae. *Conf. mar.* 141. N. 3.; PECK. et VINN. *princ.*; KURICKE ad *J. N.* II. II. 1. et IV. 27. ibique laud. scripfit. vett.; EMÉRIGON XII. 5.

ut leviozem arceas. Reprehenditur autem summo jure VALIN a doctiss. GUYOT apud MERLIN *Rép. in voce cale*, quod putaverit magistro jus puniendi competere, etiam si copia est judicem aduendi. Non enim magistro concessa est facultas judicis munere fungendi, nisi quatenus illud ad tuendam navem est necessarium. Unde sequitur, casum aliquando existere, quo, vel non rogata ceterorum nautarum sententia, jure aliquem interfici jubet. Nempe quoties hoc, *salvo inculpatæ tutelæ moderamine*, vel ad suam suorumque vitam, vel ad defendendam navem bonave mercatorum fieri possit. Imprimis autem hicce casus obtinet, cum seditio nautarum exorta est, quæ, nisi de præcipuis conjurantibus supplicium habeatur, compesci non possit. Cf. *Placc. 1551. art. 4.* Atque hic maxime casus est, quo jurisdictio, sive si ita dicere mavis, quo justa sui defensio erga omnes omnino, qui in nave degunt, est exercenda, sive nautæ sint, sive viatores. Nam aliis in causis minorem longe magistro in hos esse potestatem atque in illos sponte patet. Atque videaris adeo summo jure jus magistri in viatores restringere ad prohibendos eos, ne quid novi moliantur (1), tum etiam ad cogendos eos, ut, urgente necessitate, communis salutis promovendæ causa, operas

na-

(1) Cf. *Pr. Landr. II. 8. §. 1764.*

navi praestent necessarias. — De minoribus autem poenis, quas in medio itinere, explorata praecipuorum nautarum sententia, in nautas decernere potest magister, non idem sentiunt leges variae. Nempe cum juxta Gallorum leges antiquas hae poenae fere essent corporales, apud alias gentes, imprimis etiam apud nostrates, accedebant etiam poenae pecuniariae. Sic virgulis nocentes per aliquod tempus detinere, vel ipsos in mare projectos carinae subducere (1), vel denique ad malum ligatos loris potest cadere. Cf. *Ord.* 1681. art. 22.; MERLIN in voce *capit. de vaisf. march.* et in voce *cale.* Add. STYPM. IV. 20. N. 48. et 49.; KUR. ad *J. M. H.* III. 27. pag. 750.; LOCC. III. 8. 17. pag. 1042. — Jure Hanf. mulctam ab ipso magistro nonnumquam decerni potuisse, patet imprimis ex art. 11. tit. IV., ubi is dicitur demum, qui mulctam solvere detrectat, a iudice puniri. Jure patrio autem, qui dicto magistri non obedi- ret, prima vice a magistro condemnari poterat, ut sexta stipendii parte privaretur, altera vice, ut tertiam, tertia vero, ut totam partem, quae superesset, amitteret atque pateretur praeterea ex- traordinariam poenam, nisi jam obsequium deinceps praestaret. Damni autem ex eo, quod ma- gistro non paruerit, oriundi duplum secundum

cas-

(1) *Kielhalen, donner la cale.*

easdem leges magister potest exigere. Verum si quis homo, navis ipsa bonave mercatorum sic in periculo versata fuerint, detineri a magistro debebat, ut iudex de eo poenas sumeret. Cf. art. 2. *van Schipsh. en br.* 1563. coll. DE GROOT, *Inl.* III. 20. §. 32. Atque in his quidem omnibus causis, in quibus jus puniendi habebat magister, non licebat ipsi culpam dissimulare poenamque lege statutam remittere. *Placc.* 1563. art. 81. Abrogato autem cetero jure nostro antiquo nautico, eae hodie poenae a magistro possunt exigi, quas consuetudines nostrae probent; nam fere tacet circa eas lex scripta, nisi quod ex justa causa nautam dimitti sinat, modo non fiat hoc in terra peregrina. *C. de C.* art. 270. Quod si immoderate suo jure utatur magister, a iudice corrigendus est, arg. *l. un. Cod. de emend. fervor.*

Cum vero summam saepius celeritatem in expediendis omnibus, et maxime strictam disciplinam exigit res nautica, neque solent nautae urbanitate atque cultis excellere moribus, sponte patet leviores ejus injurias a nautis esse ferendas. Sic sancitum est in *Conf. mar. cop.* 162. ut injurias, quae verbis tantum consistunt ferant, persequenti eos magistro non resistant, sed eum effugiant, donec primum ad proram et hinc ad puppim, adeoque per integram navem ejus verbera vitare tentaverint. Sic etiam ju-



jure Wisbicensi et Uliarico demum contra iterum  
pulsantem magistrum defensio sui est licita. *Wb.*  
*Z. art. 24. §. d'Ol. art. 12.* Quod si quis  
nauta magistrum uliro pulsasset, mulcta ab eo  
exigebatur, vel etiam ipso pugno privabatur dd. II.

§. 2. *In quibus causis Magistratus officio  
fungatur magister.*

Quae proximo §. exposita est pars muneris  
magistri, licet jus publicum spectet imprimis,  
ejusmodi tamen est, ut ex negligentia magistri  
in ea recte administranda damnum pati possint  
exercitores mercatoresque, quod ab eo repetant.  
Ea vero, de qua nunc dicendum est, solam  
spectat utilitatem publicam, neque ullo modo  
exercitores tangit aut mercatores. Scilicet, quem-  
admodum judicis, sic etiam magistratus absentia  
suadebat, ut magistro navis ejus partes agendi  
tribueretur facultas, in omnibus iis causis, quae  
dilatationem non patiebantur. Itaque, copia ma-  
gistratus conveniendi non data, in conficiendis  
tabulis natalitiis et mortualibus, atque in reci-  
piendis testamentis, refert ejus personam. Cum  
vero de iis, qui in nave degant, ex catalogo  
nautico (*rôle d'équipage*) constet, merito, si  
quis diem obeat, aut agnascatur, in iisdem tabu-  
lis illud notari placuit. Magister igitur intra 24.  
horas post natum infantem aut defunctum navi-  
cu-

cularium, coram duobus praefectis navis, vel, si deficient, duobus aliis nautis, instrumentum conficit, catalogo nautico inscribendum. Atque natalitiis quidem instrumentis conscribendis, quoties in nave degit, praesens adesse debet infantis pater. *Cod. Civ.* art. 59. et 86. In portum aliquem aut stationem appellens, magister duas descriptiones authenticas (*expéditions*) ei, qui rebus maritimis praepositus est, aut Consuli nostro, prouti vel patria vel peregrina terra sit, exhibet: curaturo deinceps, ut, interveniente ministerio suummi rerum maritimarum Praefecti (*Ministre de la marine*), in tabulis censualibus domicilii patris infantis vel personae defunctae, nati defunctique nomina inscribantur. Univerfo autem itinere peracto, ipse nauticus catalogus deponitur et Censori instrumenti natalitii et mortualis mittitur descriptio. *Cod. Civ.* 60. 61. 87. Quae tot cautelae propterea requiruntur, ne unius alteriusve harum personarum negligentia alicujus status prorsus fiat incertus.

Circa testamenta mari conficienda sancitum est *Cod. Civ.* art. 988., ut magister tabulario (*l'écrivain*) adfit, coram duobus testibus ultimae voluntatis declarationem recipienti. Quo loco mirum videatur, tabellarii fieri mentionem, cum alias fere, ubi in antiquiore lege *tabellarius* memoratur, pro eo *magister* sit repositus. Causa est eo tempore, quo decretus est hicce

articulus, vim legis adhuc habuisse *Ordin. marit.* anni 1681., quae tabulariorum, in singulis navis constitutorum, meminit. Quod si igitur peculiaris tabellarius non adfit, sed magister tabulas conscribere soleat, ex hoc articulo art. 971. collato recte colliges, a magistro praeter duos testes alium adhuc praecipuum praefectum esse adhibendum. Ipsius magistri aut tabellarii testamentum ab iis nautis recipitur, qui proximi sunt ordine. *Cod. Civ.* art. 989. Cum vero jus ita testandi non tribuatur nautis propter munus, quod gerunt, verum propter conditionem, in qua versentur, intelligitur sponte, illud omnibus omnino personis tribui, quicumque in nave degant. *Cod. Civ.* art. 995. Hinc etiam est, quod, quoties copia est etiam in terra peregrina coram magistratu nostri populi testamentum conficiendi, jure communi illud faciendum fit. *Cod. Civ.* art. 994. coll. art. 48. In testamento nautico prohibita est omnis dispositio in favorem praefectorum navis, nisi cognati sint defuncti. *Cod. Civ.* art. 997. Subscribendum illud est a testatore, ab iis, qui illud recipiunt, et a testibus. Quod si testator et alteruter testium ei subscribere nequeat, ejus rei ratio in ipso instrumento redditur. *Cod. Civ.* 998. In duplo conficitur testamentum, quorum alterum in primo portu, ubi navis appellit et Consul nostri populi invenitur, exhibeatur, ut summo rei nau-

ticae Praefecto mittatur, apud judicem Pacificatorem domicilii testatoris deinceps deponendum; alterum vero, ubi in patria ventum est, ei, qui rebus nauticis est praepositus, tribuatur, ut similiter ad summum praefectum mittatur. Quod si in patriam appellens magister alterum nondum exhibuit, utrumque exemplar ita deponit. *Cod. Civ.* art. 990. 991. et 992. Depositi autem testamenti in margine catalogi nautici juxta nomen testatoris mentio fit art. 993. Ceterum quemadmodum apud Romanos testamentum militare tantum tempore militiae et intra annum post honestam missionem valebat l. 26. ff. *de testam. milit.*, sic etiam testamenta nostra maritima valent tantum, si testator in itinere vel intra tres menses, postquam in eum locum pervenit, ubi communi jure testamentum condere possit, vita defunctus est. *Cod. Civ.* art. 996.

## T A N T U M.



# T H E S E S.

1.

*Recte POLYBIUS, Hist. libr. VI. cap. 8. sqq., tutissimum libertatis praesidium in divisa summa potestate inter Principem, Optimates et Populum vidit esse situm.*

2.

*Potest tamen alia gentis alicujus conditio aliam quoque regiminis formam postulare. Gentibus minus cultis, imprimis quum regni fines late patent, absoluta Monarchia fere convenit. Apud cultiores vero gentes populo pars summae potestatis tribuenda est.*

M 2

3.

3.

*Quod ad Romanos attinet formula, principem legibus solvi, minime ita debuit intelligi, quasi omnibus legibus major ei concessa fuerit potestas.*

3 4. 1 1 1

*Cur mari prae aliis gentibus inualescat aliquis populus, causa imprimis est mercatura maritima. Huic olim Athenienses et recentiore aevo Nostrates omnem in mare potestatem debuerunt.*

5.

*Quam recentiore tempore utilitatem affert contractus assecurationis, eam ferre apud Graecos contractus foenoris nautici praestitit.*

6.

*Ut res aliena, diuturna bonae fidei possessione, usucapione fiat nostra, est quidem illud prudentissimum Juris Civilis institutum, quod minus recte tamen nonnulli ex Jure Naturali repetunt.*

7.

## 7.

*Romanorum studium vetera in jure sua instituta diligentissime conservandi, egregie exposuit Clar. DEN TEX, de ant. jur. princ. const. serv. Sic cum nulla amplius pretiosa ratio legitimam mulierum tutelam suaderet, ea liberatae quidem sunt multae mulieres et tutoribus ipsis omne fere jus ademptum; sed ipsa potestas diutissime remansit. Cf. GAJUS Veron. l. §. 144. et 190. et jocus CICERONIS pro Muraena, cap. 12.*

## 8.

*Ex collata lege 28. §. 4. et l. 31. §. 2. ff. de liber. leg. ejusdem ICTI SCAEVOLAE manifesto apparere videtur in d. l. 31. §. 2., ex observatione CUJACII, delendam esse particulam non.*

## 9.

*Valet Jure Romano legatum rei alienae, modo alienam eam sciverit testator et honoratus ejus commercium habeat. Itaque nullam pugnam agnoscimus inter l. 39. §. 8. 9. et 10. de leg. 1<sup>o</sup>., l. 49. §. 2.*

§. 2. ff. de leg. 2<sup>o</sup>.; et l. 40., l. 114.  
§. 5. ff. de leg. 1<sup>o</sup>., l. 11. §. 16. ff. de  
leg. 3<sup>o</sup>.

10.

*Jure utendi fruendi bonis liberorum  
suorum minorum Cod. Civ. art. 384.  
minime privantur conjuges, bona gratia  
divortentes.*

---